AUTHOR:

OTTENJANN, HEINRICH

TITLE:

DE VOCUM ENCLITICARUM APUD PLAUTUM

PLACE:

MONASTERII GUESTF.

DATE:

1910

Master Negative #

92-80664-7

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87PD
Z8
v.6 Ottenjann, heinrich. De vocum encliticarum apud Plautum collocatione. Monasterii Guestf. 1910: Aschendorff. 76 S. 8°
Münster, Phil. Diss. v. 20. Nov. 1910, Ref. Kroll
[Geb. 19. Febr. 86 Greven; Wohnort: Münster i. W.; Staatsangeh.: Preußen; Vorbildung: Gymn. Rheine Reife O. 06; Studium: Münster 1, Berlin 1, Münster 6 S.; Rig. 22. Juni 10.] [U 11. 3982

Vol. of theses.

336948

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8-7-92 INITIALS: MT
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

no. 1

De vocum encliticarum apud Plautum collocatione.

Commentatio philologica

quam consensu et auctoritate amplissimi philosophorum physicorumque in alma litterarum universitate Guilelmia Guestfala Monasteriensi ordinis ad summos in philosophia honores rite capessendos

scripsit

Henricus Ottenjann
Guestfalus.

Monasterii Guestfalorum.
E typographeo Aschendorffiano.
1910.

E

Consensu et auctoritate ordinis philosophorum commentationem typis expressam esse testatur

Guilelmus Kroll
ordinis philosophorum h. a. decanus.

De comprobanda hac commentatione ad ordinem philosophorum rettulit

Guilelmus Kroll
P. P. O.

Parentibus.

Index rerum.

Voces encliticae quem locum, sive in verborum continuatione, sive in versificatione cum alioquin tum apud Plautum ceterosve Romanorum veteres poetas comicos obtineant, haud scio an satis superque exploratum videatur. Enimvero si contuleris quae nostra praecipue aetate de hac re scripta sunt, mirabere quantam in molem haec omnia succreverint. Attamen peritos quidem neque fugit neque fugiet reapse hic quoque satis multa operta esse, quamvis aperta videantur. Ac meum esse nullo modo potest, quaecumque huc spectant atque explicatione indigent, plana facere. Immo in hac re examinanda si paululum quidem profecero, acquiescere mihi licebit. Sin autem hic illic proferam, quae iuvenile quoddam rudimentum respirant, hoc unum quaeso: cognoscite atque ignoscite.

E re ipsa non erit extemplo ad eam accedere. Nam cum permulta, quae tamquam fundamenta et lineamenta huius opusculi habenda sunt, mirum quantum vacillent, necessario ipsius commentationis contextus nimis dirimeretur atque obscuraretur, si idcirco etiam atque etiam aberraremus. Accedit quod nonnumquam ad confirmandum aliquod iudicium aliquanto altius repetere oportebit. Quibus de causis, quoad fieri possit, haec illaec expendenda ac praefanda mihi quidem videntûr esse.

Ceterum respicias velim haec:

arsis vocabulo dico quod est in vernacula lingua: *Hebung, thesis* quod est: *Senkung,*

versus cito Plautinos Leonis Terentianos Plautinis hic illic adiectos Fleckeiseni editionem secutus,

libros affero notis usus praeter usitatissimas his:

Abh. bayr. Ak. = Abhdlg. der kgl. bayr. Ak. d. Wiss.,

A. J. P. = American Journal of Philology,

G. L. K. = Grammatici latini ed. H. Keil, Lps. 1855—80,

J. P. = Journal of Philology,

N. G. G. = Nachr. v. d. kgl. Ges. der Wiss. zu Göttingen,

thes. l. l. = thesaurus linguae latinae,

transact and proceed. = transactions and proceedings of the American Philological Association,
E. Ballas, gramm. Pl. = grammatica Plautina, Berol. 1884,
K. Brugmannus, K. vgl. Gr. = Kurze vergleichende Gramm. d. idg. Sprachen. Argentorat. 1904,
A. Draegerus, synt. = Historische Syntax, Lps. 1878,
F. Handius, Turs. = Tursellinus, Lps. 1829,
G. Kaempfius, de pron. pers. = de pron. pers. usu et collocatione, Berol. 1885,
R. Klotzius, ars. metr. = Grundzüge altröm. Metrik, Lps. 1890,
P. Langenus, symb. = Beiträge zu Plautus, Lps. 1880,
Fr. Leo, Pl. Forsch. = Plautinische Forschungen, Berol. 1895,
W. M. Lindsaius, Lat. L. = Latin Language, Oxon. 1894,
" Synt. = Syntax of Plautus, Oxon, 1907,
" Capt. = ‚Captivi' ed. Londin. 1900,
C. F. W. Muellerus, pros. = Plautinische Prosodie, Berol. 1869,
" pros. add. = Plaut. Pros. Beiträge,
Fr. Ritschelius, proleg. = prolegomena de rationibus emendationis Plaut., Lps. 1880,
Fr. Skutschius, Plaut. u. Rom. = Plautinisches und Romanisches, Lps. 1892,
W. Studemundus, stud. = Studien auf dem Gebiete des archaischen Lateins, Berol. 1890,
E. Wallstedtius, stud. Pl. = studia Plautina, Lundae 1909.

I.

De vera encliseos natura.

Apollonius qui vocatur *δύσκολος* in syntaxeos quam scripsit vol. II. cap. 2. ita dicit: „*αἱ δὲ τὸν τόνον μετατιθεῖσαι* (sc. *ἀντωνυμίαι*) *ὡσπερεὶ ἀπὸ τῶν ἐγκλινόντων τὰ βάρη ἐφ' ἕτερον σῶμα, ἐγκλιτικαὶ* (sc. *καλοῦνται*)." Ex his verbis quid enclisin esse dicamus luculente cognoscimus: hoc enim enclisin esse apparet, quod vocabulum quoddam suum accentum permutat [1]), ita quidem ut eum a se inclinet in alterum vocabulum [2]). Idem fere Priscianus grammaticus Caesariensis de hac re iudicat, id quod hanc quidem ob causam non ita mirum est, quod Priscianus aliquo iure alter Apollonius vocatur. Prisciani enim verba haec sunt: (G. L. K. II. 477. 1 sqq.] „[*Que*] encliticum est, id est suum accentum inclinat in syllabam extremam antepositae dictionis: hoc autem et aliae duae coniunctiones habent, id est *ne* et *ve*." Sed redeamus ad Apollonium. Monendum est ne hunc quidem, quamvis diserte de ipsa enclisi disputet, quaenam eius causa sit, dicere. Nobis vero, si veram ac propriam encliseos naturam perspicere volumus, id ipsum omnium primum expediendum est.

Apud Graecos quidem quae voces in encliticis numerandae sint ex accentu ascripto facile perspicitur. Hic igitur si perpen-

[1]) cf. Brugmannus, Gr. Gr.[3] 154: „Wohl kein Wort war von jeher im Satz stets orthotoniert. Vielmehr gaben alle Wörter unter Umständen ihren selbständigen Akzent im Satz auf . . ."

[2]) Nostra quidem aetate grammatici saepenumero enclisin quam vocant in eo esse positam docent quod vocabulum quoddam se ipsum alteri vocabulo artissime applicat. Ne hoc quidem falsum esse dicam, modo ne existimes huius modi applicationem ad litteras quoque, sive quod est in lingua nostra: Schriftbild (Schreibe) pertinere. Cuius modi applicationem vel agglutinationem etsi nonnum quam et quidem imprimis monosyllaba ineunt, tamen secundariam adventiciamque modo esse et Graecorum voces encliticae testantur et infra dilucide apparebit.

das vocabula quae dicimus enclitica, omnia fere nullius vel perexigui ad sententiam ponderis esse videas [1]. Unde iusto iure conicias voces de quibus agimus maximam partem eam tantum ob causam suum accentum a se inclinare, quod ubicumque omni vel propemodum omni notione, quae hic illic in eis est, nudantur, accentus vim et gravitatem sustinere omnino non iam possunt, id quod per se quoque haud difficile est intellectu. cf. Brugmannus K. vgl. Gr. 55: „Im allgemeinen beruhte die Tonbewegung im Satze im letzten Grunde auf dem logischen Wert der einzelnen Glieder des Satzes: das logisch Bedeutsame wurde hervorgehoben, das minder Bedeutsame niedergedrückt.“ Fatendum igitur est Apollonii verba supra commemorata Lindsaium rectissime hunc in modum interpretari: (Lat. L. 166) „Among Latin Sentence-Enclitics we may class . . . the . . . pronouns when unemphatic.“ Contra si neglexeris quod intestinam encliseos causam esse cognovimus ac parum diligenter, quae Apollonius et loco allato et ceteroquin de enclisi memoriae prodidit, legeris, vel ut uno verbo dicam, putaveris *τόνος* vocabulo nihil nisi accentum, quem Graecorum grammatici vocibus ascribere solebant, significari, fieri non poterit quin vehementer erres dummodo quae vocabula in lingua latina vere enclitica sint diiudicare velis. Hic enim quoniam voces accentu ascripto carent, accentus autem qui nominatur grammaticus — ut omittam superiorem illam aetatem, qua primae syllabae accentum valuisse satis constat — nulla omnino logica [2]) ratione constitutus una illa quam vocamus paenultimae lege dirigitur, sane illud peccanti ea tantummodo vocabula in encliticorum numero habere licebit, quae conglutinatione facta suum — dico grammaticum — accentum abiciunt: ut *templúmque, videóne,* similia; quaecumque autem sui cum altero vocabulo conglobationem respuunt atque ob id ipsum grammaticum quem habent accentum amittere nullo pacto possunt, velut *enim, autem, igitur,* pronomina, alia, eadem illa condicione vere enclitica non erunt. Quin etiam omnia bisyllaba, quae paenultimam longam habent longeque plurimae trium pluriumve syllabarum voces, etiamsi cum altero coalescant, proprie encliticae dicendae non sint: grammatico enim accentu ne ita quidem carere possunt.

---

[1]) cf. Lindsaius, Capt. p. 370: „enclisis or subordination“, „enclitic or subordinate“.

[2]) Ut perspicuitati inserviam *logica* dico, viros doctos qui adhuc de huiusmodi rebus egerunt duces secutus, non *psychologica*; cf. p. 21 not. 2.

At iam nescio an quispiam vix credibile esse existimet umquam quemquam qui ita diceret fuisse. Quamquam et antiquis temporibus et nostris diebus, qui ita de enclisi disputaverint, minime desunt. Tum enim Priscianus, quem modo auctorem citavi, tantummodo *que, ne, ve* particulas et *cum* praepositionem eamque non nisi ubi postponatur „enclitici vice fungi“ expressis verbis dixit. (cf. G. L. K. I. 595. 1; II. 27. 14; 39. 20; 50. 7; 104. 22; 488. 19.) Nuperrime autem G. Deeckius [1]) de hac re ita disseruit: „1) Propriam appellare solemus enclisin, qua vocabulum aliquod se subiungit alteri vocabulo ita ut una unum vocabulum efficiant. cf. e. g. *viróque, hominésve, tibíne?* . . . 2) Pronomina . . . et quasdam particulas (e. g. *enim, autem, vero, igitur, quoque, quidem* et formas verbi substantivi . . . *enclisin* prae se ferre Wackernagel . . . docuit.“ Deeckius igitur, id quod vel maxime mirum est, pronomina quae apud Graecos vere ac proprie enclitica esse Apollonius verbis ineunte hoc capite allatis testatur in lingua latina tantummodo *enclisin* prae se ferre affirmat.

Sed quae tandem vera encliseos natura est? Ita quaerentibus verissime respondet Ritschelius, quippe qui voces proprie encliticas grammatico quidem accentu carere haudquaquam oportere, verum hoc unum ad verae encliseos naturam requiri censeat, ut fortiore, vel ut ipse perspicuitati consulens dicit, logico accentu vox enclitica praedita non sit [2]). Simili modo si *τόνος* quod Apollonius exhibet vocabulum interpretaris, huius quoque verba supra commemorata verissimum encliseos iudicium praebent [3]).

Attamen cave exspectes inter *que, ne, ve* et *enim, autem, igitur,* similes voculas nihil prorsus, quod ad enclisin attineat, interesse. Hoc unum dico ne his quidem vocibus, quia grammaticum accentum retineant, verae encliseos naturam abiudicandam esse. Genera vocum encliticarum si vis, duo modo constituenda opinor esse; sunt enim voces:

---

[1]) ‚De usu pronominis relativi apud poetas veteres latinos quaestiones syntacticae‘, diss. Gottingens. 1907. p. 7.

[2]) cf. proleg. ad CCLIX: „. . . cum ad verae encliseos naturam requiratur ut logico accentu annexa vocula careat.“ cf. Radfordius, transact. and proceed. 34 (1903) p. 74: „accentual weakness or enclisis“.

[3]) Quibus expositis mira videantur E. Wallstedtii haec verba: (cf. stud. Pl. p. 53) „Quod Ahlberg eas quas enumeravi voces *encliticas* dicit (fortasse melius dixisset has voces propter suam naturam in enuntiato plerumque logica vi carere) nimirum non . . .“

1) quae solum logicum accentum amittunt,

2) quae praeter logicum grammaticum quoque abiciunt.

Quae duo genera, quaecumque in lingua latina enclitica sunt, complectuntur. Longe plurima priori, nonnulla alteri, perpauca eaque non nisi certis quibusdam temporibus ac condicionibus et huic et illi generi adnumeranda sunt[1].

Hactenus de illa quam vulgo spectamus enclisi disputavi, neque vero omnis omnino encliseos unam esse causam dixi. Quam solam ob rem, etiamsi nihil aliud accederet, a vulgari illa enclisi secernenda essent, quae minus saepe in encliticis esse grammatici docent. Accedit autem, quod ubicumque duae pluresve voces in unam coalescunt, h. e. in quovis quod vocamus composito, singuli accentus quoque in unum principalem coeunt, quam accentus permutationem grammatici suo iure eodem encliseos nomine appellant[2]. Attamen et huius generis voces encliticas et quae aliam ac de quibus supra disceptavi causam habent (cf. quae dicuntur *Dvandva-Komposita*) in hac quidem commentatione neglegere licebit.

[1]) Vocum encliticarum classes, quas Lindsaius (Lat. L. 166 sqq.) numerat, naturam encliseos minus spectant.

[2]) cf. Lindsaius, Lat. L. 170; Radfordius, l. c. 72: „I do not forget ... that many German scholars employ ‚enclisis‘ as a general term for word-grouping.“

II.

De rebus quibusdam, quae ad ipsam collocationem spectant, summatim definiendis.

Praeter collocationem, quae ad vocabulorum seriem sive ad enuntiationem pertinet, apud Plautum et quae ad versificationem spectat summopere perscrutanda est.

In enuntiatis quem locum obtinere soleant voces encliticae Wackernagelius libello quem scripsit: Über ein Gesetz der indogermanischen Wortstellung (J. F. I. (1892) 333 sqq.) investigandum sibi proposuit certissimisque argumentis vetustissimam (cf. Hirtius, Hdbch. 184; Lindsaius, Synt. 92) esse legem eam probavit, ut quantum fieri possit, secundum enuntiationis locum petere studeant, idque adeo ut hic locus iusto iure vocum encliticarum proprius nominetur. Etenim profecto, si respicias, initium sententiarum fortissimo, secundum ab initio locum admodum levi accentu in pronuntiatione esse praeditum solere[1]), initium igitur sane exoptatissimum exstare vocibus quae sunt insignioris notionis atque ob id ipsum quae abiectum encliticarum accentum ultro recipiant vel maxime idoneae, quid mirum quod voces encliticae vocabula ab initio posita subsequi naviter student?[2]) Attamen noli hanc legem ad severiorem quam par est normam exigere. Praeterquam enim quod omnes fere voces encliticae hic illic longius ab initio sententiae recedunt, monendum est nonnullas velut

[1]) cf. Wackernagelius, J. F. 1. (1892) p. 406; Radfordius, transact. and proceed. 74: „the second place in a sentence ... which is associated, in the most of the Indo-European languages with accentual weakness.“

[2]) cf. Sommerus, Hdbch. 100: Es ist selbstverständlich, daß in jedem normal gesprochenen Satze die einzelnen Wörter verschieden stark hervorgehoben werden, und daß die am schwächsten akzentuierten sich an den benachbarten Hauptton anlehnen können“.

quidem, quoque particulas (cf. Wackernagelius, l. c. 417/8), quippe quae saepenumero ,non totam sententiam sed unam notionem spectent, ut hanc ipsam subsequantur quemlibet enuntiati locum obtinere posse. Huc quoque referendum est, quod formae verbi substantivi, utpote quae perapte enuntiandi finem faciant (cf. Langenus, Philol. 46 (1887) 419), haud ita raro in ipso exitu enuntiati occurrunt, encliticam autem naturam ne hic quidem amittunt. De natura secundi enuntiationis loci quae nonnulli grammatici docuerunt (cf. Wack. l. s. 406), i. e. vocabula hoc loco posita ob ipsam hanc collocationem enclitica fieri, mihi quidem minus placent quam quae Radfordius (l. s. 74) de hac re dixit: „. . . the second, or enclitic position, which is, however, rather to be considered a proof than a cause of their (i. e. pronominum) weakness.“ Ceterum quomodo in singulis enuntiatis singulae voces encliticae collocentur idque imprimis, ubi duae pluresve eiusdem enuntiati primum vocabulum subsequi certatim student, infra pluribus verbis disceptandum erit. Hoc unum hoc loco rebus modo expositis addam. Wackernagelium quidem minime effugit voces encliticas, ut secundum enuntiationis locum obtineant, nonnumquam vocabula alioquin artissime inter se cohaerentia dirimere. Verumtamen huiusmodi collocationem, quam tmesin vocamus, et latius patere et ut vocibus encliticis summopere expetendam [1]) in examinanda quam spectamus vocum encliticarum collocatione maioris momenti esse mihi persuasi, quam ut eam obiter tractare liceat.

Alia eaque multo difficilior quaestio haec est, quem locum voces encliticae obtineant in versificatione. Hucusque qui de Plautina vocum encliticarum collocatione disputaverunt, omnes fere aut quae ad verborum continuationem aut quae ad rationem in versibus componendis adhibitam pertinet, minime simul et hanc et illam respexerunt, id quod e re ipsa nequaquam esse infra patefiet. Accedit quod quae viri docti de vocum enclitica-

[1]) cf. J. R. Koenius, Über die Wortstellung in der lateinischen Sprache, Monasterii 1831 p. 3: „Zwei Wörter, welche die übrigen des Satzes an Bedeutsamkeit übertreffen, nehmen die minder bedeutsamen in ihre Mitte.“ Leo, N. G. G. 1895 p. 418: „Die beiden Nomina [lacrimis cum multis] nehmen das Enklitikum . . . zwischen sich und tragen es von beiden Seiten.“ Wackernagelius, Vermischte Beiträge zur griechischen Sprachkunde, Basileae 1897 p. 24. Ludovica Lindhamer, Zur Wortstellung im Griechischen, diss. Monacens. 1908 p. 69. H. Boldtius, de liberiore linguae graecae et latinae collocatione verborum capita selecta, diss. Gottingens. 1884 p. 50 sqq.

rum ordine in versificatione obvio docuerunt meo indicio non omnia quidem acu rem tangunt. Quibus de causis et ut in ipso opusculo viam planiorem ingredi mihi liceat, iam paulo altius repetendum erit.

Sicubi apud Plautum, quippe qui a ,sermone ad vitae usum communem composito‘ haud longe recedat, Leonem suo iure eis impugnare fatendum est, qui propter solam metri necessitatem in vocabulis collocandis leges in cottidiano sermone usitatissimas ac vetustissimas nimis saepe dicunt violari. Ac veluti W. Fergerus [1]), cum hanc legem constituit: „quod ad collocationem (sc: vocativi cum pronominibus *mi, mea, meum, noster* coniuncti) attinet, pronomina, si per metrum licet, ante nomen ponuntur neque nisi metro repugnante nomen praecedit,“ videtur neglexisse, quod — ut omittam quaecumque exempla praeter vocativum *mea, meum, noster* pronomina exhibent — in his versibus: Aul. 694, Capt. 1006, Poen. 1366 quominus *mi patrue* vel *mi gnate* pro *patrue mi* vel *gnate mi* scriberetur metrum quidem minime obstabat. Item Ludovica Lindhamer affirmando verbum [Verbum!] aliquod inter vocabula quae quod ad syntaxin attinet arte inter se cohaereant in versibus quidem non nisi metri causa intercedere (l. c. p. 67 sq.) sine dubio modum excessit. cf. Capt. 652, Merc. 680, alios multos.

Nihilo setius negari non potest quin Plautus nonnullis quidem versuum locis haud ita raro cogente arte metrica singularem vocabulorum ordinem admiserit ac notissimum est initium versuum in eiusmodi locis numerandum esse. Velut in exeuntibus quae in iambum pyrrhichiumve desinunt versibus locutiones quae sunt:

vae mihi misero,
ei mihi misero,
di bene vortant,
quid tibi mecumst?

similes necessario inversam et quidem hanc habent vocum collocationem:

vae misero mihi,
ei misero mihi,
di vortant bene,
quid mecumst tibi? [2])

[1]) De vocativi usu Plautino Terentianoque, diss. Argentorat. 1889 p. 14.

[2]) cf. Kellerhoffius in Stud. stud. II. 78; Haulerus ad Phorm. 552; A. Luchsius, Herm. 13 (1878) 497 sq.

Ibidem (cf. Cist. 276, Ter. Andr. 676).

noctesque et dies

scriptum deprehendimus, cum sollemniter (cf. As. 602, Most. 22, 235, Rud. 380, Truc. 904.)

dies noctesque

dicatur. Huc quoque spectat, quod in versuum quos supra dixi exitu numquam

quíd opust vérbis?

quae est usitatissima huius locutionis forma (cf. Amph. 615, Aul. 468 472, Bacch. 486, Capt. 937, Cist. 94, Curc. 79, Mil. 1213, Most. 993, Poen. 436, 579, Rud. 590), verum semper

quid verbís opúst?

invenimus (cf. Amph. 445, 777, Bacch. 483, [Men. 484], Poen. 113, Rud. 85, 135, Trin. 553). At iam moneo harum formarum cum eis quos notavi accentibus in initium versuum iambicorum neutram quadrare. Ne illa quidem, quam Bothius in Bacch. v. 1164 scribendam coniecit:

quid opúst verbís?

ut hoc loco poneretur lex quam dicunt dipodica [1]) permisit: Quam ob rem poeta facere non potuit quin in Merc. v. 106, qui est iambicus senarius (cf. Ter. Andr. 99), quarta huius locutionis forma:

quid vérbis ópus est?

uteretur [2]), modo ne — id quod in huius generis locis re vera fieri videtur — similem hanc locutionem:

quid múlta vérba?

adhibere mallet, unde apparet — quod quidem, nisi fallor, minus notum est [3]) — Plautum in initio quoque versuum, qui sint diversi generis, satis vehementer cum metro conflictare Infra in ipso opusculo identidem huiusmodi exempla reperies: Hoc loco praeterea

---

[1]) Qua de lege dipodica non ignoro Skutschium (Plaut. u. Rom. p. 156) ita iudicasse: „Daß es später gelingen wird . . . das Dipodiengesetz als zu eng und verfehlt zu erweisen, sofern es eben ein Dipodiengesetz sein soll, das hoffe ich zuversichtlich.“ Aliquo tamen iure hoc nomine adhuc licebit uti. cf. Wallstedtius l. c.

[2]) cf. Pseud. 608: quíd istuc vérbist?
„ Ep. 350 et al.: quid istúc est vérbi?
„ Poen. 207: quid istúc tumúltist?
„ Most. 478: quid istúc est scéleris?

[3]) obiter quidem M. Schlossarekium (temporum et modorum syntaxis Terentiana, diss. Vratislaviens. 1908 p. 12) hanc rem tetigisse postea vidi.

notandum esse existimo tale variorum versuum initium poetae adeo difficultates praebuisse, ut praeter vocabulorum ordinem ipsas voces sollemnis cuiusdam locutionis mutare cogeretur. Enimvero poeta pro:

Júppiter te díque pérdant,

quam exsecrandi formulam in initio versuum trochaicorum (cf. Aul. 658, Capt. 868, Curc. 317, Rud. 1112) usurpavit, in ineunte Capt. v. 909, i. e. in iambico octonario, haec scripsit:

Diéspiter te díque . . . pérdant.

Quae tamen res non solum in ineuntibus, verum etiam in mediis versibus occurrit, ubicumque primum locutionis vocabulum modo in arsi modo in thesi invenitur, vel modo hinc modo illinc exorditur. Veluti (cf. Aul. 47, Rud. 797, Amph. 356, Poen. 376, Aul. 307, Most. 640) scripta videmus:

át scin quó [3] modo,

át scin quó [5] modo,

át scin quó [7] modo,

át scin etiam quó [5] modo,

séd scin quóius [5] modi,

(cf. Aul. 831), in Bacch. autem versu 1178 haec sunt verba:

at scin quo pácto [3]?

Quae cum ita sint, quod infra compluries poetam a lege illa Wackernageliana metri necessitate coactum recessisse statuendum erit, quid mirum?

Neque tamen neglegendum est ex his, quae modo exposuimus, quaecumque illi legi obstant, excusationem non habere, quamvis aperte propter aliquam rationem metricam ei repugnent. Alio igitur, ut haec quoque explicemus, recurrendum est.

Iam Bentleius Romanorum veteres poetas comicos id spectasse subtilissimo sensu observaverat, ut „quas voces vis sententiae intenderet, in arsi collocarentur“. Quam legem etsi Bentleius aliquotiens ad severiorem quam veriorem normam exegerit, tamen „quantum possent“ illos poetas secutos esse Ritschelius vir Plautinissimus in proleg. cap. sexto decimo (cf. p. CCLII.), quod est de accentus logici in componendis versibus vi, suo iure affirmavit. Exceptionum, quas longe plurimas ipse Ritschelius l. c. in perscrutanda illa lege accurate atque exquisite tractavit tria genera equidem constituerim: habes enim exceptiones,

1) quae videntur tantum esse,

2) quae sunt „rationi prorsus consentaneae“,

3) quae sunt non sine omni quidem excusatione.

Pertinent ad primum genus praeter alios ei loci, quibus iambicum pyrrhichiacumve vocabulum subsequitur syllabam brevem in arsi positam, ubi igitur illiusmodi vocabulum quamvis praecipua notione praeditum prorsus in thesi delitescere videtur, cum sola brevis quae antecedit syllaba arsin occupet. „Verum enimvero videtur tantum . . . nec causa latet eius rei, cum una longa arsis ˊ–, ubi in duas breves solvitur, necessario hanc formam recipiat ⏑́ ⏑ (cf. proleg. CCLVIII).“ Ceterum cf. Radfordius l. c.

Eiusdem generis sunt versus, in quibus admodum insignia vocabula ex arsi exclusa deprehendimus, cum praepositio quaedam, ex qua illa pendent, in arsi cubet. At reapse ne hic quidem legem, quam Bentleius indagavit, violatam esse planissime perspicitur, modo probemus cum praepositionibus illa vocabula in polysyllaba coalescere. Quod quamquam plures ita esse concedunt (cf. proleg. CCLIX), tamen quos quae huic sententiae repugnare videantur non fugerit minime desunt (cf. Skutschius, Plaut. und Rom. 158). Iam igitur ut plurium sententiae accedere mihi liceat, nonnulla quae ei inserviunt exempla e comoediis Plautinis excerpta hic afferam:

Iambici (pyrrhichiacive) vocabuli ubi fit cum monosyllaba praepositione conglutinatio, quae creticum aequat, haec ipsa eosdem accentus [1]) recipit atque una cretica vox [2]) ˊ– ⏑ (ˊ–), i. e. accentum principalem habet in praepositione, secundarium in ultima annexi vocabuli syllaba: cf. Capt.: 43, 89, 121, 244, 271, 340, 360, 365, 369, 379, 384, 475, 491, 686, 815, 821, 959, Mil.: 72, 161, 186, 279, 310, 344, 349, 611, 858, 873, 884, 904, 905, 966, 1143, 1162, 1288, 1321, 1381, Stich.: 81, 120, 148, 243, 365, 400, 413, 426, 501, 524, 563, 606, 625, 627, 685, 706. In his tribus comoediis nullum quod obstet exemplum repperi. Niemeyerus quidem in iterata Brixii Captivorum Militisque editione duobus locis (Capt. 727,

[1]) Recordandum est in fabulis Plautinis „cum . . . quantitatis severitate summa accentus observationem, quoad eius fieri posset, conciliatam esse“, id quod praeter Ritschelium notissimi huius dicti auctorem (proleg. CCVII) Langenus (Philol. 46 (1887) 401 sqq.) Lindsaius (Capt. p. 361 [2]) alii multi iusto iure docuerunt vel adhuc docent.

[2]) cf. proleg. ad CCVIII.

Mil. 541) *per déos* exhibet, ubi tamen Lorenzius *per dēos*, Goetzius vero *per deós* intendit.

Iambici vocabuli ubi eliditur ultima syllaba, eadem coagmentatio principalem unius cretici (cf. proleg. ad CCVIII) accentum ˊ– ⏑ · servat eumque habet in praegressa monosyllaba praepositione: cf. Capt. 476, Mil. 488, 578, 748.

Iambicum (pyrrhichiacumve) vocabulum ubi praecedit bibrevis praepositio, facta quae paeonem quartum aequat coniunctio unius eiusdem mensurae vocis ratione intenditur ⏑́ ⏑ ⏑ (ˊ–) (prol. CCXVII). cf. Capt. 472, Stich. 56.

Iambicum (pyrrhichiacumve) vocabulum quod subsequitur praepositionem bilongam atque una cum hac hanc efficit formam – – ⏑ –, unius hoc genus epitriti (cf. proleg. CCXXIX) intendendi ratione aeque ac praegressa praepositio in ultima syllaba acuitur – ˊ– ⏑ (ˊ–). cf. Mil. 9, 853. In Capt. v. 617, ubi Brixius *ínter sácrum* notat, Leonem rectius *intér sacrúm* intendere existimo.

Creticum dactylicumve vocabulum ubicumque subsequitur monosyllabam praepositionem, principalem legitimumque habet accentum in prima syllaba et si eliditur et si non eliditur ultima, praepositio autem non nisi in thesin cadit ⏓ ˊ– ⏑ ⏓ vel ⏓ ˊ– ⏑ ·. cf. Capt. 268, 436, 442, 479, 841, 869, 1001, Mil. 8, 29, 134, 156, 160, 173, 178, 264, 272, 287, 301, 308, 319, 385, 472, 483, 593, 609, 640, 712, 718, 823, 831, 832, 969, 979, 1125, 1133, 1136, 1227, 1290, Pers. 8, 41, 68, 341, 461, 498, 606, 631, 786. Unus qui hoc improbare videtur versus, dico Mil. 648, ob multitudinem eorum, qui comprobant, persuspectus est. At illic, si *Apulis* re vera creticum aequat, non quod Brixius affert: *ín Apulís*, sed quod Goetzius exhibet *in Ápulis* iustam intentionem esse puto.

Monosyllaba vox ubi una cum monosyllaba ex qua pendet praepositione iambum spondeumve aequat, huiusmodi vocabulorum more posterior conglutinatae vocis syllaba plerumque quidem accentu caret ⏑́ –, ˊ– – (cf. Lindsaius, Lat. L. 168 sq.; J. P. 150 sq.; Capt. 370). Aeque tamen atque iambica vocabula quovis loco, spondiacaque aliquotiens in ultima acui licet, huiusmodi quoque conglobatae voces, quae iambi mensuram habent, quovis loco, quae spondei, modo ne lex dipodica obstet, oxytonesin non respuunt. cf. Aul. 541, Capt. 202, Pers. 746, 774, Pseud. 1021, Rud. 608, Ter. Ad. 269. Exemplum toti huic rei — quod quidem ad spondeos pertinet — accomodatissimum exstat in Pers. v. 745

: Age ambula [2]in ius, leno. Quid me in [5]iús vocas?
(cf. Poen. v. 1232/3).

Quid plura? Satis apparet haec omnia, nisi praepositiones cum pedisequis nominibus in polysyllaba vocabula coalescere agnoscamus, percipi nullo pacto posse.

Quod in nominibus idem in pronominibus cum praepositione quadam consociatis valere [1]) facillime intellegitur. Ac profecto iam in his quoque subsistere ineptum esset, nisi quae Lindsaius multifariam de eis disputavit id ipsum necessarium redderent. Attamen sat erit inquirere in pronomina personalia, quae sunt in Mil. glor. et in Capt. cum praepositionibus coniuncta. Hic vero quae refellerent, quod de praepositionum cum pronominibus conglutinatione posuimus, non invenies. Ne de *ad [6]nós* quidem, quae coagmentatio illo quo exstat loco (cf. Mil. 1177) contra legem dipodicam peccare videtur, ita iudicandum erit. *Ad nos* enim hoc loco cum praecedenti vocula *huc* tam arte cohaerere (cf. Aul. 330, Cas. 597, Cist. 782, Mil. 1069) fatendum est, ut in *húc ad nós* cadere appareat, quod E. Wallstedtius (stud. Pl. 85/6; 99sqq.) nuperrime esse docuit, dico legem dipodicam in iustis sane dipodiis valere, non autem ad huiusmodi creticos pedes pertinere [2]). In Capt. v. 175, qui est iambicus senarius, quod Niemeyerus Schoelliusve scribendum coniecerunt: *proptérea [?]a té . . ., pro proptérea [2]té . . .*, quod codices exhibent, prorsus reiciendum est, cum *a té* hoc loco legi dipodicae vehementer obversetur. Contra minime desunt, unde praepositiones cum pronominibus re vera tamquam in polysyllaba vocabula coalescere luce clarius fiat: dico praepositiones bilongas *me, te, se* pronomina antecedentes, quae etiam in secundo senarii et in quarto sextove versus quadrati pede (cf. Capt. 350, 420, 702, 746) [3]) sui oxytonesin admittunt ac, nisi quod modo diximus

[1]) cf. Ritschelius, proleg. ad CCLIX.: „. . . sed commune est quod praepositionibus iuncta nomina et pronomina tamquam in polysyllaba vocabula cum illis coeunt.“

[2]) cf. Ritschelius, proleg. CCXI, CCXIV; W. Meyerus, Abh. bayr. Ak. 17 (1886) p. 85/6: „Im Übergange vom 5. zum 6. Trochäus (sc.: des troch. Sept.) sind, wie im 4. Fuße des jambischen Senars, unreine Wortschlüsse meistens nur dann zugelassen, wenn nach demselben ein vier- oder mehrsilbiges Wort den Zeilenschluß bildet.“

cf. Mil. 1177: . . . [5]húc ad nós nau[7]clérico.

[3]) Praeter Ritschelium et Skutschium plura illius modi exempla affert Klotzius, ars metr. 324. At moneo Capt. v. 590 a Klotzio allatum huc referen-

probaremus, funditus everterent, quae viri docti de lege dipodica statuerunt.

Neque tamen eadem prorsus Lindsaii de hac re sententia est. Lindsaius enim etsi praepositiones cum nominibus unam syllabarum complexionem efficere existimat [1]), tamen mirum in modum Plautum ex. gr. *ád me* acuere contendit, ubi *me* pronomen encliticam habeat naturam, *ad mé*, ubi *me* praecipua vi ac gravitate praedita sit (cf. Capt. p. 33; 370/1; annot. ad Capt. v. 853, 977; Lat. L. 167). Ita si res se haberet, sane et iam concedere oporteret poetam „accentuum notionumque convenientiae“ enixe operam dedisse et haberemus, quibus in critica factitanda nostro iure niteremur, quam viam Lindsaius quidem in Capt. vv. 853, 977 emendandis nimirum ingressus est. Verumtamen sciendum est, quae Lindsaius de hac re iudicarit, inter se non cohaerere. Nam quod in nomina, idem imprimis ac sine dubio in pronomina praepositionibus iuncta cadere intelleximus; ubi autem ex. g. *ad me* Plautinis quidem temporibus re vera unam vocem fuisse atque ob id ipsum in sermone cottidiano spondiacorum vocabulorum more *ád me* acui solitam esse comprobaveris, tibi persuadere non iam licebit homines illius aetatis, ubiubi in pronomine aliqua gravitas fuerit, contra paenultimae quam vocamus legem ut e nulla omnino logica ratione suspensam [2]) peccantes non *ád me* sed *ad mé* intendisse. Nobis vero, cum *ad me* duas voces esse vulgo sentiamus, illiusmodi accentuum volubilitas prorsus consentanea videtur esse. — At fortasse quispiam et hoc et illud defendendi sustinendique causa dixerit Plautum quidem, ubi in pronomine maior vis sententiae fuerit, quodammodo legem, cuius indagator Bentleius nobis exstitit, secutum paenultimae legem neglexisse. Sed ne hoc quidem concedere possumus. Per se

dum non esse: cf. Meyerus l. s. p. 43: „Von diesem Dipodiengesetz gibt es eine prinzipielle und manche vereinzelte Ausnahmen. Die erste Senkung des troch. Septenars geht ganz gewöhnlich mit der folgenden, 2. Hebung unreine, spondeische oder anapästische Verbindung ein, wie *quíd quassás* . . .“ cf. Wallstedtius l. s. p. 94.

[1]) cf. Capt. p. 370: „Prepositions were fused with the following Noun into a compound word . . .“; J. P. 20 (1892) 150/1: „Preposition and Noun are fused into a compound word.“ et al.

[2]) cf. Schlicherus. A. J. P. 23 (1902), 58: „what impresses us most about the Latin accent is the unvaried monotony of its position . . . It does not fall upon a s y l l a b l e of special significance, because of its significance, but accidently, if at all.“

enim incredibile est locos, quibuscumque poeta praeter rationem acuendi „legitimam licentiam“ habebat [1]), prorsus eosdem esse, quibus propter praecipuam pronominis notionem paenultimae legem violari oportebat. Hic illic et huius et illius generis locos convenire minime infitior. Immo ipsos hos locos Lindsaium, ut ita censeret, adduxisse mihi quidem persuasum est. — Luculentissime vero, quo iure ne hoc quidem comprobemus, apparebit, simulatque in id intentus unam duasve fabulas Plautinas percurreris. Praeterquam enim quod encliticum quod annectitur pronomen haud ita raro ictu percussum deprehendes (cf. Mil. 535 [523, 525], 651 [654]), persaepe maioris momenti pronomina ictu videbis carentia, cum praepositiones, quae praecedunt, arses occupent (cf. Capt. 293, 670, 721, 754, 898, 933, Mil. 248, [246], 1002, 1140). Nihilominus nostris adhuc diebus Wallstedtium, quod quidem ad *propter me, erga te* similes conglutinationes pertinet, cum Lindsaio (cf. Capt. p. 33) fecisse ex his verbis, quae sunt in eius libri p. 113, satis elucet: „cum accentum logicum haberet monosyllabum, accentum semper *propter mé* etc. fuisse consentaneum est.“ Opponere sat erit ipsam contrariam acuendi rationem poetam in id genus coniugationibus iniisse in Capt. vv. 261, 312, 589 (cf. quae annotavit Niemeyerus), 746, aliis multis. — Lindsaius quod tamen in hanc notationem: *ad m(e) ádvenis* spectans praeterea dicit (Capt. p. 370): „and it is likely enough, that the elision of the Pronoun restored the Preposition in actual pronunciation to its unaccented state“, moneo in hanc sententiam meo quidem iudicio minime quadrare, quod, ubi in illiusmodi collocationibus finales pronominum vocales eliduntur, praepositio multo saepius in arsi quam in thesi occurrit. Velut percurre sis monosyllabarum et praepositionum et pronominum id genus copulationes, quae sunt in Captivorum Militisque senariis iambicis trochaicisque septenariis: praepositiones 25 ^ies^ in arsi (Capt. 430, 437, 551, 570, 619, 670, 745, 933, 938, Mil. 200, 224, 231, 246, 654, 716, 790, 869, 952, 960, 962, 974, 1126, 1132, 1140, 1146), 10 ^ies^ in thesi (Capt. 175, 369, 855, 948, Mil. 289, 520, 537, 561, 569, 957) scriptas videbis.

Iam igitur quae Lindsaius de pronominibus praepositionibus adiunctis disputavit abicienda sunt, tenenda haec:

1) pronomina item ac nomina cum praepositionibus coeunt in polysyllaba vocabula, quae in fabulis Plautinis, et si illa

[1]) cf Brandesius, mus. Rhen. 64 (1909) 73/4.

logicum accentum habent et si non habent, simplicium more ictu feriuntur,

2) contra legem Bentleianam et pronomina et nomina, cum a praepositionibus, ex quibus pendent, secernenda non sint, specie quidem, reapse non peccant, ubi, etiamsi summa sententiae vis in eis vertatur (cf. Ep. 117), theses occupant, arses praepositionibus concedunt. Recordandum enim est rhythmicum accentum singularum syllabarum gravitatem non magis respicere quam grammaticum (cf. p. 21 [2]).

Dixi de altera primi exceptionum generis classe. Tertiam denique habes, ubi notiones pondere insignes elisione facta aliquamdiu in thesi deprimi vel adeo devorari visae sunt. cf. Capt. v. 540

:... quís homost me hóminum miserior?

At ne hic quidem ita fas est dicere. In elisione enim homines antiquos utramque syllabam pronuntiasse et Ritschelius (proleg. CCLXIV sqq.) cognovit et Meyerus (l. c. 48) illustri exemplo comprobavit et Langenus (l. c. 419), alii concesserunt, ita ut in versu allato rectius hoc

:... quís homost mé hominum miserior?

notandum esset, unde elucet reapse *me* pronomen omni omnino rhythmico accentu non carere.

Iam progrediamur ad eas exceptiones quae sunt rationi prorsus consentaneae, i. e. quae pertinent ad alterum genus:

„Ubicumque non simplex fit duarum notionum oppositio, sed geminis geminae notiones opponuntur (cf. Trin. 59), plerumque nec commode fieri potuit ut quaternarum vocum nulla extra arsim esset, nec opus esse tam putida diligentia visum est, sed satis fuit utriusque membri bipertiti alterutrum antitheticum vocabulum acui.“ Quod verissimo sensu a Ritschelio (proleg. CCLXIII) observatum esse et Lindsaius (Capt. p. 372, 3) suo iure affirmavit et negari omnino non potest. Verumtamen facere non possum quin moneam me iudice omnes quattuor voces oppositas acuere illo loco non modo putidae diligentiae, sed etiam supervacaneum fuisse, cum singulae vel eo satis distinguantur et extollantur, quod binae nullo vocabulo intercedente artissime inter se conexae sunt [1]).

[1]) cf. Raebelius, diss. Halens, de usu adnominationis apud Romanorum poetas comicos, 1882 p. 47.

Qua de causa idem non solum in geminis, verum etiam in simplicibus duarum triumve notionum oppositionibus — imprimis huc spectant pronominum continuationes, quae sunt apud Plautum usitatissimae (cf. Mil. 377, 418, et pag. 59) — valere existimo.

Aliquanto subtilius ceteri qui huc spectant loci investigandi sunt. Ritschelius (proleg. CCLV/CCLVI) gravioris momenti vocabula, quae inveniuntur in versuum initio ob ipsam hanc collocationem naturali necessitate quadam pronuntiandi, etiamsi ictus numerorum, ut in iambicis, non accederet, putavit extolli. Mirum tamen videatur esse, quod — ut omittam Trin. v. 41

: bona, faústa, felix, fórtunataque évenat,

ubi reminiscendum est quod supra de vocum continuatione disputavi — in omnibus versibus, quos Ritschelius rei illustrandae causa congessit[1], vocabulum de quo agitur non solum versus, verum etiam enuntiationis initium occupat. Ac si praeterea respicias iambicos numeros, ubi enuntiationis initium discrepat ab initio versus, persaepe exordiri a vocibus, quae sunt nihil gravioris ponderis:

Capt. 85: prolátis rebus párasiti venátici
„ 86: sumus, quándo. . . .
Capt. 119: omnés profecto líberi lubéntius
„ 120: sumus quám servimus. . . .
Mil. 14: ubi Búmbomachides Clútomestoridysárchides
„ 15: erat ímperator súmmus. . . .
Mil. 59: . . . vél illae, quae heri pállio
„ 60: me réprehenderunt. . . .
Mil. 547: meruísse equidem me máxumum fateór malum,
„ 548: et túae fecisse me hóspitae aio iniúriam.
Mil. 926: . . . pótin ut hóminem
„ 927: mihi dés, quiescas cétera? . . .
Mil. 927: . . . ni lúdificata lépida
„ 928: ero, cúlpam omnem ín me imponito. . . .
Mil. 1261: . . . militém pol
„ 1262: tu aspéxisti. . . .

haud scio an Ritschelii verba rectius ad enuntiationum quam ad versuum initium referenda esse videantur. Quod verisimillimum esse hinc denique evadat, quod praestantiora vocabula ab initio sententiarum posita non modo, ubi versus initium congruit cum initio enuntiationis, sed etiam ubi huius initium in mediis versibus occurrit, ab arsi exclusa reperiuntur:

[1] cf. Trin. 52, 53, 57, 60, 69.

Capt. 870: . . . . . . abi, [4]stúltu's . . . .
Mil. 225: . . . . . . hanc [5]rém age . . . .
Mil. 300: . . . quid [4]tíbi vis dícam, nisi quod víderim?
Mil. 316: . . . non [3]égo tuam empsim vítam vitiosá nuce.
Mil. 737: . . . nunc [4]ístis rébus desistí decet.
Mil. 1016: . . . amat [5]múlier quaedam quéndam.
Merc. 317: . . . nil [2]ést iam quód tu mihi suscénseas.
Amph. 284: . . . deos [3]ésse tui similís putas?
Amph. 332: néscioquem loqui aútumat: mihi [5]cérto nomen Sósiaest.
As. 820: . . . . . . me [5]honéstiust
„ 821: quam té palam hanc rem fácere . . .

Num tamen liceat dicere versus initium certe eam quam in sententiarum initio cognovimus naturam atque indolem augere potuisse atque ob id ipsum huiusmodi locis, qui legem Bentleianam specie quidem neglegunt, eo plus excusationis rationi prorsus consentaneae praesto fuisse, alia est quaestio. Iustiore iure ita censeas de eis locis, quibus simul et nova sententia pronuntiatur et personae mutantur.

Brevis est disputatio nostra de tertio exceptionum genere. De paucis enim qui huc spectant locis quae dicenda erant, Ritschelius (proleg. CCLXVI, sqq.) praeclare dixit. Hoc unum moneo eam esse talium exemplorum naturam, ut poeta, ne contra legem, quam Bentleius enodavit, peccaret, inusitatissimum vel insolentem ordinem verborum admittere cogeretur.

Iam si comprehendo quae de accentuum notionumque congruentia exposui, quis est quin concedat legem quam vocamus Bentleianam, etsi uni inexorabili immutabilique rationi non astrictam, tamen ob ipsam naturam eorum qui ab ea recedunt locorum tanta esse constantia ac stabilitate, ut eam nostro iure aliquotiens huic disceptationi adhibeamus; quatenus adhibeamus relinquitur ut paucis dicamus.

Voces gravioris momenti quoniam, quoad fieri possit, arsin petere intelleximus, quid est consequentius quam ut in thesi haud ita raro voces nihil insignioris notionis sive encliticae (cf. p. 10) obviae sint (proleg. CCLIII)? Attamen facere non possumus quin vehementer dubitemus, an Lindsaio quod modo probavimus quodammodo commutare atque eodem iure dicere licuerit, e natura vocum encliticarum pendere, quod naviter thesin obtinere studeant

(J. P. 20 [1892] 137): „We cannot read a page of Plautus without noticing how naturally the important words appear in the Arses of the line, while the ‚Sentence-enclitics‘, the words in the fact, which we omit in writing telegrams, slip in to the Theses“ (cf. p. 136, Capt. p. 365/6, 373, Lat. L. 166). Quod si ita esset, minus intricata, quam adhuc omnibus visa est, haberi oporteret haec quaestio, quaenam vocabula in lingua latina iusto iure in encliticis numeranda sint. Neque vero mirum esse potest illinc fieri, ut Lindsaius quidem hoc sibi persuaserit (Lat. L. 169): „That monosyllabic conjunctions *et, sed* and the like, were enclitic words in the sentence, may be proved, if proof be wanted, from the versification of the early dramatists, in whose lines these conjunctions are relegated as a rule to the thesis, and do not receive the metrical ictus“ (cf. Capt. p. 372). Verum neglegendum non est Bentleium Ritscheliumve nulla nisi praestantiora vocabula arses occupare nusquam dixisse. Quam ipsam ob causam encliticas quoque voces eosdem numerorum locos obtinere posse prorsus negandum per se quidem non est. Tum demum ita iudicare fas esset, si ictus gravitatem talem esse constaret, ut voces encliticae eam sustinere non potuerint. Sane ineptum esset omnem omnino vim ac gravitatem rhythmico accentui abiudicare. Quod si faceremus, quid sibi vellet lex illa Bentleiana? At quaeritur, num ictus numerorum tam gravis sit, ut vox enclitica idcirco arsin fugere debuerit. Sed quoniam viri docti de natura ac vi rhythmici accentus adhuc mirum quantum dissentiunt [1]), quod quaerimus ut diiudicare possimus, alio spectandum est. Est autem via et rectior et propior, qua idem cognoscitur: percurrimus ipsos versus Plautinos hoc quaeritantes, collocenturne in arsi quoque voces vere encliticae necne. — Iam si vero examinaverimus quem locum obtineat in versibus Plautinis inter alia *sed* coniunctio, cuius enclisin vel inde perspicuam fieri Lindsaius (Lat. L. 169, Capt. p. 372)

[1]) cf. Ritschelius, proleg. CCLII: „concedam copulato grammatico cum rhythmico accentu omnium fortissimum accentum logicum prodire: nego nullum vel exilem solo rhythmico effici“; G. L. Hendricksonius, A. J. P. 20 (1899), 206: „but it will not require elaborate proof to maintain, that in the verse of Plautus and Terence there is a rhythmical accent, of essentially the same nature as the word-accent.“ cf. Lindsaius, Capt. p. 374; E. Bennet, A J. P. 20 (1899), 426: „but I must maintain, that any such theory can hold only, when it is first shown, that ictus is stress;“ Gleditschius, Burs. CXLIV, 1909, p. 138 [cf. Ch. Exonius]: „Der Iktus war also mindestens ebenso stark wie der Wortakzent und konnte ihn in manchen Fällen zurückdrängen.“

opinatur, quod sollemniter („as a rule“) in thesi deprimatur, mirum in modum in Stichi („the best preserved of all the plays in the Ambrosian Palimpsest“ [cf. Lindsaius, J. P. 20 (1892), 152]) quidem versibus — si omiseris mutatis modis quae dicuntur cantica — *sed* etiam saepius in arsi quam in thesi (18 : 12) [1]) scriptum invenies. Itidem fere res se habet in Amphitruonis comoedia. Lindsaio duce (cf. Capt. p. 372) si priores quingentos versus percurreris, *sed* non crebrius quidem in arsi quam in thesi (6 : 6) [2]) deprehendes; in reliquis autem sescentis quinquaginta versibus haec coniunctio quadruplo fere saepius in arsi quam in thesi (15 : 4) [3]) occurrit. Simillima res est in As. (11 [12] : 6), Capt. (26 : 16), Cas. Cist. Curc. Men. Merc. aliis fabulis. Quamobrem ut Lindsaius quidem *sed* voculam non in encliticis verum in *orthotonumenis* quae vocantur numeraret, exspectabamus. Haec una res, quo iure de Lindsaii quae huc pertinent verbis rectissime dubitari dixerim, illustre est argumentum. Accedit quod plures voces, quamvis indubitatam habeant encliticam naturam, simillimo modo collocantur. Veluti supra cognovimus monosyllabas praepositiones, etsi iusto iure in vocum encliticarum sive procliticarum [4]) numero habendae sint, ubi iambica vocabula subsequuntur, nusquam nisi in arsi, ubi monosyllabum, longe plurimis locis ibidem poni (cf. *pró rotá*; *cúm dis*). Idem fere valet in praepositionibus bibrevibus bilongisve quae praecedunt voces iambicas (cf. *síne penú; proptér virum).* Huc quoque spectant: *méus pater, méi patris, méo patri,* similes collocationes cum alibi tum in Amphitruonis prologo compluries (cf. vv. 31, 44, 120, 135, 139, 144) obviae, quae pronomina possessiva, etsi illic perlevis vel nullius ad sententiam ponderis sunt, semper intensa exhibent, et quibus ipse Lindsaius (Capt. p. 369, not. 2) haec annotavit: „. . . and this is the normal incidence of ictus in these phrases in Plautus.“ Praeterea ut *igitur,*

[1]) in arsi: vv. 64, 83, 87, 106, 127, 136, 154, 416, 448, 527, 543, 567, 574, 579, 582, 591, 701, 705; in thesi: vv. 166, 181, 198, 270, 290, 301, 307, 484, 495, 517, 651, 655.

[2]) in arsi: vv. 56, 238, 270, 292, 418, 447; in thesi: 46, 116, 148, 201, 255, 486.

[3]) in arsi: vv. 504, 550, 616, 620, 629, 689, 739, 763, 840, 962, 1045, 1072, 1078, 1103, 1130, in thesi: 897, 1005, 1018, 1110.

[4]) cf. Radfordius, l. c. p. 72: „I do not forget in making this statement, that many German scholars . . . avoid entirely the use of the terme *proclisis*, which, as is well known, is not of ancient origin, but a coinage of G. Hermann's“

autem, edepol aliae voces encliticae in thesi supprimerentur, ipsarum prosodia vix permittebat. Sunt tales quoque voces encliticae, quales quamquam mensura quidem quominus in thesi delitescerent nihil obstabat, tamen et grammaticum accentum servent et arsin minime vitent, id quod si in id intentus versus Plautinos legeris facile intelleges. — Ex his omnibus, si in universum spectes affirmare non licere tuo iure conicias encliticas voces, proinde atque insigniores arsin sibi expetant, ut thesin obtineant operam navare. Hinc autem cognoscitur nobis disceptantibus vocabulumne aliquod in encliticis habendum sit necne, imprimis quidem illa re (cf. pag. 26 sqq.) niti non licere et in critica factitanda, i. e. quaerentibus, hicine an illic vox quaedem enclitica iuste ponatur, idem non nisi summa cautione adhibita spectandum esse.

III.
De singularum vocum encliticarum collocatione.

Iam ad rem ipsam accedam ac singulis capitibus imprimis *que, ne, ve, enim, igitur, autem, quidem, quoque, pol, edepol, hercle, mehercle, ecastor, mecastor* vocularum collocationem perscrutabor. Quae num vere encliticae sint, quaerendum non est. Satis enim constat omnes iusto iure in encliticis numerari (de *pol, edepol, hercle,* similibus particulis affirmativis vide quae Wackernagelius, J. F. 1 [1892], 423 sqq. disputavit). Contra in examinanda illa, quae ad versificationem pertinet, vocularum positione neglegenda non est haec quaestio interdum admodum intricata, amiserintne voces encliticae praeter logicum grammaticum quoque accentum. In singulis igitur capitibus ex hoc ipso exorsus sane primum quae ad versificationem, deinde quae ad enuntiationem spectat collocationem, et quidem quoad fieri possit, separatim exquisiteque investigabo. Ceterum praeter eas quas supra enumeravi voces encliticas hic illic etiam alias — praecipue dico ipsum nominum vocativum (cf Wackernagelius l. c.) — mihi in animo esse respicere vix affirmare oportet.

que.

Notissimum est *que* particulam ipso grammatico accentu carere ideoque cum praegressa voce in unam uno principali accentu in pronuntiando elatam coalescere.

Quocum artissime cohaeret, quod *que* vocula numquam fere apud Plautum arsin occupat, etsi primaria huius rei causa haec est, quod *que* monosyllabum breve est, voces autem in brevem syllabam exeuntes perraro huius intentionem permittunt. Quamquam etiam in hac re ab iambicis trochaicisque versibus, utpote severioribus legibus astrictis, secernendi sunt anapaestici mira cum licentia compositi (cf. proleg. CCL). Illic enim *que* particula, apud Plautum, si summam respicias, 750 ies fere, in ipsis senariis iam-

bicis trochaicisque septenariis 500^{ies} fere obvia, perquam raro, i. e. 5^{ies} (quater in senariis: Mil. 542, Poen. 420, Pseud. 838, Truc. 385; semel in septenario trochaico: Stich. 746), hic autem in tanta paucitate anapaesticorum qui *que* habent versuum vel 7^{ies} sive 8^{ies} (Bacch. 1087, Pers. 777, 781, Trin. 825, 832, 833, [Truc. 128]) ictu feritur. *Que* ubi in iambicis senariis arsin participat, semper et una cum ea voce, cui adhaeret, trochaeum aequat et non nisi in primo versus pede invenitur, easque igitur ob causas excusatione non caret [1]). Aliud est, ubi *que* particula in secundo septenarii trochaici pede vel in anapaesticis versibus intenditur. Nam et hic et illic (cf. proleg. CCXL), ut *que* vocula ictum reciperet, ipsa metrorum licentia permittebat.

Plura dicenda sunt de loco, quem *que* particula copulativa obtineat in verborum continuatione. Omnium primum haec lex constituenda est: *Que* particula, ubi inservit sententiis inter se coagmentandis, nullo usquam alio ac primo enuntiationis vocabulo annectitur (cf. Wack. l. c. 416; Aemilius Ballas, gramm. Pl. p. 19) [2]). Etenim miranda est severitas, cui hanc legem astrictam esse videmus. Ne verborum quidem consociationes, neque laxiores, neque artiores vel artissimae sunt, quas *que* vocula, ut suum locum obtineat, non dirimat. Cuiusmodi tmeses [3]), quas vocant grammatici, persaepe occurrunt, ubi *que* intercedit inter voces attributim inter se conglobatas, id agens ut priorem subsequi possit: Amph. 8, 106, 252, 258, 317, [495], 1022, 1090, As. 3, 551, 556, 853, Aul. 121, 218, 281, 553, 724, Bacch. [377], 895, Capt. 31, 42, 361, 445, 597, 702, 898, 910, 916, Cas. 73, 229, 819, Cist. 365, 501, 524, Curc. 198, 446, 573, 578, Ep. 556, Men. 236, 237, 616, [655], 879, 930, Merc. 19, 226, 786, Mil. 107, 219, 327, 413, 501, 688, 724, 1340, Most. 39, [192], 250, 464, 655, 684, 995, 1160,

[1]) cf. Ritschelius, proleg. CCXXX: „quos (sc.: iambicos senarios) ubi solas trochaicas voces dixero in solo primo pede admisisse, dixero prope omnia “

[2]) Legi supra constitutae non repugnant huiusmodi loci:

Ep. 396: . . . di deaeque te adiuvant. . . . .
Mil. 591: . . . at ita me di deaeque omnis ament.
Amph. 349: bene pudiceque adservatur, ...
Rud. 1: qui gentes omnes mariaque et terras movet.
Merc. 162: vim, metum, cruciatum, iurgiumque atque inopiam.
Aul. 218: quae res recte vortat mihique, tibique, tuaeque filiae.
Ep. 229: ubi fidemque, remque, seque, teque properat perdere.

[3]) Voces arte inter se cohaerentes sane quavis *que* particula, non, quae sententias copulatur, sola dirimi posse hoc loco moneo.

Pers. 755, Poen. 224, 460, 749, 903, 1128, 1240, 1253, 1274, Pseud. 164, 372, 770, 772, 837, 1133, Rud. 348, 349, 443, 499, 519, [594], 624, 669, 912, Stich. 126, 376, 609, Trin. 110, 111, 647, 703, 834, Truc. 603, 776, Vid. 43, 70. Haud ita raro fit, ut praeter *que* particulam alia vox enclitica in eadem tmesi inveniatur. Huc spectant:

Poen. 5: bonoque ut animo . . . .
Truc. 965: meamque ut rem . . . .
[Amph. 495: suamque ut culpam . . . . .]
Men. 35: . . . . . eaque is aegritudine
As. 131: . . . . vostraque ibi nomina
Pers. 292: . . . . deaeque me omnes . .
[Most. 192: deaeque me omnes . . . . . .]

In Poen. v. 952 etiam duae huius generis voculae talem in modum collocantur

: measque hic ut gnatas . . . . .

Aliquotiens praeter vocem encliticam *que* particulae adiectam etiam verbum (Verbum!) aliquod immissum deprehendimus:

Merc. 680: meoque ut parcas gnato . . . . .
As. 138: . . . . . meritoque id faciam tuo
Pseud. 279: . . . . . quaque id promisit die

quo et hos locos referre licebit:

Trin. 816: epistulasque iam consignabo duas
Cas. 818: tuaque ut potior pollentia sit . . .

Iam si comparaveris cum his et illis locos satis multos, quibus *que* voculam, quae intercedit inter voces alioquin arte inter se cohaerentes, tantummodo illiusmodi verbum alioquod subsequitur,

Amph. 7: quasque incepistis res . . . .
Trin. 222: occlusioremque habeant stultiloquentiam
Rud. 631: eamque eventuram exagogam . . . .
Rud. 635: . . . per . . . . tergumque obtestor tuom
Capt. 768: . . . . measque auges opes
Mil. 959 . . . tuamque expetessit pulcram pulcritudinem
Capt. 652: meaque amplecti crura . . . .
Aul. 736: . . . . meosque perditum ires liberos

tuo iure admiraberis amplam talium locorum copiam atque interrogabis, praesertim cum omnino fere desint loci quibus alterius generis vocabula vulgo quidem in encliticis non habita insuper interponantur, haecine verba (Verben!) item ac voculae supra allatae aliquam encliticam habeant naturam. Quod ita esse sane omnino negarem, si haec verba non nisi metri causa ultro inter-

cederent. Sunt quidem loci, de quibus ita iudicare licet, imprimisque huc pertineant hi versus:

Bacch. 413: . . . . tuamque pravos factus est fiduciam
Stich. 505: . . . . measque mihi [bene] servassint filias
As. 545: . . . . gratiasque habemus merito magnas
Most. 85: argumentaque in pectus institui multa
cf. Capt. 687: meumque potius me caput. . . . .

Verumtamen nonnumquam poetam nulla metri necessitate coactum ita collocasse fatendum est et supra (cf. pag. 15) comprobavi. Quid igitur de locis modo congestis censeamus? Etiamsi concedimus in soluta praecipue oratione hic illic aliam et perspicuam huius collocationis causam exstare (cf. Ludovica Lindhamer, l. c. pag. 69 sqq.), quae suspicati sumus prorsus abicienda esse concedere non possumus; conferas velim quae supra (cf. pag. 14) de tmeseos natura annotavi et quae infra huc referenda apparebunt. — Haec hactenus. Omitto aliquanto etiam laxiores vocabulorum consociationes *que* vocula dissolutas. Restant vero loci, quibus ipsae praepositiones *que* particula divellantur ab annexa voce, quae tmeses insolentissimae omnium haberi solent atque — ut omittam obsecrandi formulas (cf. Lindsaius, ad Capt. v. 977; Brixius ad Men. v. 990, Leo, N. G. G. 1895 p. 419, Boldtius, l. c. pag. 53, 51) — vix alia ac *que* vocula efficiuntur. Iam scribam locos quos specto:

As. 19: perque illam . . . uxorem tuam
Bacch. 930: . . . . sineque exercitu . . . .
Capt. 225: . . . . sineque arbitris
Capt. 246: perque conservitium . . . . . .
Capt. 542: proque ignoto . . . .
Cas. 612: . . . . cumque amica . . . . .
Curc. 2: . . . . cumque hac pompa . .
Ep. 199: . . . . circumque argentarias
Merc. 794: . . . . . . cumque amationibus
Mil. 30: perque os . . . .
Mil. 541: . . . . perque stultitiam . . . .
Mil. 542: perque tua genua . . . .
[Poen. 419: perque meos amores perque Adelphasium meam]
Poen. 420: perque tuam libertatem . . . .
Poen. 418: . . . . perque oculos tuos
Pseud. 838: cumque tuis . . . . mendaciis
Stich. 409: cumque eo . . . .[1]

[1]) De eiusmodi locis apud Terentium obviis cf. H. C. Elmerus, A. J. P. 8 (1887) p. 302: „I find . . . that Terence attaches *que* to prepositions only three times, and in each case the same preposition has immediately preceded. (Heaut. 811, Andr. 290, 540); cf. Leo, N. G. G. 1895 p. 419.

At non omnibus omnino praepositionibus ne apud Plautum quidem ut adhaereat *que* particula idonea est visa (cf. Aemilius Ballas, gramm. Pl. pag. 19); non enim *in, ab*[1]), *ex* praepositiones ab insequenti voce separare potuisse videtur:

Merc. 786: measque in aedes . . . .
Vid. 70: . . . eoque ab opere . . .
Rud. 349: capitalique ex periculo . .,

id quod eam ob causam neglegendum non esse existimo, quod — nisi fallor — sunt qui hoc ipsum non nisi apud elegantissimos illos inferioris aetatis scriptores observari sibi persuaserint[2]). — Locis, quibus praepositio quaedam separatur ab adhaerenti nomine addam:

Trin. 833: . . . disque tulissent . . .
Cas 150: . . . amorisque causa . .

Annexam vocem a se seiungi una *cum* praepositio, ubi postponitur, nimirum passa non est:

Pers. 117: tecumque oravi . . .

Memoratu dignum est, ubi praepositiones *que* particula seiungantur ab insequenti voce, numquam aliud — ne vere encliticum quidem — vocabulum insuper intercedere. — Apud Plautum denique aliter atque in inferiore aetate[3]) *tam, quam* voces a pedisequis seiungi solere hac opportunitate oblata moneo:

Mil. 498: . . . tamque indignum . . .
Mil. 788: . . . quamque . . maxume.

Ad extremum paucis disputare liceat de copulatione quae fit per *que . . . et*[4]), cui polysyndeto simillima sunt: *ve aut, quoque etiam, ergo igitur, itaque ergo, sed autem, namque enim*, alia. Mirum enim

[1]) ‚ab' in huiusmodi locutionibus: *absque te esset (foret) = si tu non esses* apud Plautum decies obvium huc non pertinere consentaneum est (cf. Wackernagelius, l. c. p. 417).

[2]) cf. Antibarb. II, 409: „Für den klassischen Brauch hat Ringe (Progr. Göttingen 1880) festgestellt: *que* tritt nie an die Präpositionen *ab, ob, sub, apud, a* und *ad*, dagegen immer an die zweisilbigen auf *ā* (z. B. *contra, extra, infra)*, die zugleich auch adverbialen (auch *inter, propter*, außer bei Pron.) und an *sine, trans*, gewöhnlich an *post, pro, per, de, cum*, während bei *ex* und *in* beides gleich häufig sich findet."

[3]) cf. Antibarb. II. 410: „. . . doch ist die Regel *imprimisque*, ebenso *quamprimumque* für *quamque primum*, ‚und sobald als möglich'; *tot tam variisque virtutibus*, für *tamque variis; tam praecipitesque*, für *tamque praecipites; tanto tam immensoque campo*, für *tamque*."

[4]) cf. Aemilius Ballas, gramm. Pl. p. 5; Haulerus, ad Phorm. v. 1051.

videatur, quod ubicumque duarum notionum, quae per *que . . . et* conectuntur, altera a littera *t* vel *d* incipit, haec ipsa *que . . . et* voculas non antecedit, sed subsequitur, ita ut *et* coniunctio, quae in *t* litteram exit, nullo vocabulo intercedente ante notionem a littera *t* vel *d* incipientem ponatur:

Amph. 5:	. . . . . . peregrique et domi
As. 3:	gregique huic et dominis . . .
Cas. 820:	noctuque et diu . . . .
Cist. 276:	. . . . noctesque et dies
Merc. 27:	stultitiaque adeo et temeritas
[Mil. 1347:	metuoque et timeo . . . . . .]
Poen. 3:	sileteque et tacete . . . . . .
Poen. 465:	. . . damnumque et deos esse . . .
Rud. 1:	. . . mariaque et terras . . .
Stich. 661:	. . . mihique et tibi [1])

Num haec omnia casui attribuenda sint equidem nescio. Accedere moneo et apud Terentium (cf. Andr. 676, Phorm. 1051) et — quoad quidem ex exemplis a Draegero, synt. III. 74 sqq. allatis coniecturam facere liceat — apud Sallustium (Iug. 76, 6) et Tacitum (agr. 42, ann. 1. 4, 2. 6, 14. 31), et apud Livium (21. 35, 29. 22) — si omittas 5. 49, 5. 51 — idem observari. Fortasse etiam Curtii Rufi (5. 6. 17) haec verba:

seque ac coniuges

huc referenda sunt. Attamen, etsi fortuita non sint, nescio an rectius aliud quoddam quaerendum sit.

ne.

Ne particulam interrogativam perinde ac *que* voculam suum grammaticum accentum amisisse constat. Quin etiam haec particula persaepe tam arte praegressae voci se applicat, ut *e* vocalem abiciat, ita ut *n* pro *ne* existat [2]). Eandem ob causam nihilo rarius fit, ut voces, quibus *ne* particula adhaeret, *s* littera finali careant: ‚*ain, vin, scin, abin, potin, possin, mittin, redin, reddin, pergin, pergitin, audin, auditin, nostin, novistin, viden, videtin, censen, iuben, sponden, tacen, abiturun, ratun, sanun, alienun, dan, datin*‘, alia.

[1]) Neutra vocum per *que . . . et* coniunctarum a littera *t* vel *d* incipit apud Plautum: As. 283, Capt 87, 313, Curc. 477, [Poen. 13], Mil. 1315, Most. 406, Rud. 705, 1189, Stich 289, apud Terentium: Ad. 64, Eun. 876, Hec. 488. — Ad Poen. v. 13: . . . *virisque et † colis*, cf. quae Leo annotavit: „*vales* Geppertus, fort. *te alis*“, (h. e. . . . *virisque et te alis).*

[2]) cf. Priscianus, G. L. K. II 488: „*Ne* autem solet etiam abiecta *e* encliticam vim possidere, ut *Pyrrin, tanton.*“

Accentum rhythmicum *ne* vocula, 1100[ies] [1]) fere apud Plautum obvia, etiam rarius participat quam *que* particula. Cuius rei causa sine dubio haec est, quod *ne* saepenumero *e* vocalem non servat, ita ut ictum recipere omnino non possit. Habes *ne* intensam duobus locis: in Cist. v. 580: . . . ‚$\overset{5}{\text{s}}$iciné‘, h. e. in senario exeunte, et in Ep. v. 295: . . . ‚$\overset{7}{\text{i}}$llané‘, h. e. in extremo septenario trochaico, quibus in intentionibus idem valet atque — ut exemplo utar — in ‚diceré‘, quod verbum eos quos notavi ictus multifariam habet eisdem versuum locis (cf. proleg. ad CCVIII).

Uberrime disputandum est de *ne* particulae collocatione, quae ad enuntiationem pertinet. Praemittam haec: *Ne* particula interrogativa longe plurimis locis adhaeret voci ab initio enuntiati scriptae, nonnumquam longius ab initio recedit.

Iam trutina pensemus locos non nullos, quibus *ne* suum locum non occupat: Minime mirandum est, quod *ne* vocula in geminatis interrogationibus, quae ab *utrum* (= πότερον = welches von beiden) (cf. Wackernagelius, Verm. Beiträge, p. 21/2) incipiunt, secundum enuntiationis locum non obtinent. Exactius vero quaerentibus Brixius (cf. ad Capt. v. 268) suo iure hoc respondet: „*utrum . . . ne . . . an* ist bei Plautus nicht selten, . . . *ne* wird stets an den ersten in Frage gestellten Begriff angehängt.“ (cf. Lindsaius ad Capt. v. 268) cf.:

Rud. 104:	sed utrum tu masne an femina es . . .
Capt. 268:	sed utrum strictimne . . . an per pectinem
Bacch. 75:	. . . utrum ego istuc iocon adsimulem an serio
Mil. 345:	. . . utrum egon . . . viderim
„ 346:	an illic faciat? . . . .
Most. 681:	. . . utrum eae velintne an non velint
Trin. 306:	utrum itane esse mavelit, ut . . . . . .
„ 307:	an ita potius, ut . . . . .
Stich. 699:	. . . utrum Fontine an Libero
Pseud. 709:	dic utrum Spemne an Salutem te salutem . . .
Poen. 1416:	. . . utrum ei maiores buccaene an mammae sient
Bacch. 500:	inimiciorem nunc utrum credam magis
„ 501:	sodalemne esse an Bacchidem . . . .

Quid mirum quod idem in hunc locum cadit?

[1]) cf. Minton Warren, A. I. P. 2 (1881), p. 50 sqq. „about 1100 times in Plautus.“

Pers. 33: . . . ., mea amica sitne libera,
" 34: an sempiternam servitutem serviat . . .

Paulo aliter res se habet in

Pseud. 1290: cogito, saeviter blanditerne adloquar.

(cf. Ep. v. 462.) — Inquirendum non erit in *ne* particulam, quae agglutinatur in geminatis interrog. *nec* vel *an* vocibus (*necne, anne*). cf. Bacch. 400, Capt. 713, Cas. 95, 572, Ep. 322, 462, Pers. 78, Pseud. 451; Bacch. 20, 576, Rud. 1069. — Iam subsistamus in simplici enuntiato interrogativo. Ignotum non est (cf. Handius, Turs. IV. 75, Kaempfius, de pron. pers. 42.) *ne* particulam in enuntiatis, quae coniunctione quadam inchoantur, secundum locum in vocabulorum serie numquam obtinere. In huiusmodi enuntiationibus *ne* adhaeret alteri ab initio voci his locis:

Amph. 616: . . . . . sed vidistin . . . . .

cf. Bacch. 315, [331], 509, Capt. 304, 317, 709, Cas. [691], 707, Men. 425, Merc. 301, Mil. 574, Most. 310, 604, Pers. 75, 154, 465, Pseud. 276, 657, [1079], Rud. 1216, Stich. 517, 582, Truc. 504;

Amph. 356: . . . . . at scin . . .

cf. Aul. 47, 307, Bacch. 594, 1178, Mil. 1034, Poen. 376, Rud. 797;

As. 109: atque audin . . . . .

cf. Ep. 400, Poen. 406, 408, Pseud. 665, Trin. 799. — De *immo* adverbio idem dicere licere hi versus testes sunt:

Mil. 978: immo vin tu . . . . . .
Pseud. 324: immo vin etiam . . . . .

Interdum autem fit, ut *ne* particula in enuntiatis quae ab initio aliquam coniunctionem habent, non alteri, sed tertio vocabulo adhaereat, ita ut *ne* quartum sententiae locum occupare aliquo iure liceat dicere [1]). Duobus locis vocem, cui *ne* particula annectitur, praecedit *enim* vocula enclitica:

Pseud. 538: . . . at enim scin . . . . .
Pseud. 641: . . . . . at enim scin . . .

Recordandum est *enim* in fabulis Plautinis numquam alio ac secundo enuntiati loco occurrere (cf. p. 48). Contra, ut his quidem

[1]) Satis elucebit Kaempfium (de pron. pers. 44) severius quam verius hoc affirmare: „si *sed* antecedit, *ne* tertio loco [dicit post tertium enuntiati vocabulum] stare non potest."

locis *ne* particulam re vera item ac supra allatis alteri enuntiationis vocabulo agglutinatam esse doceas, minime fas est dicere *at enim* voces pro una esse habendas. Hoc enim non ita esse infra (cf. pag. 45 sq.) verisimillimum fiet. — Plura dicam de his locis:

Ep. 503: sed tu novistin fidicinam Acropolistidem?
Most. 522: sed tu etiamne astas nec quae dico optemperas?

Ad Ep. v. 503 O. Seyffertus (Burs. 47 (1886), 58) haec annotavit: „*sed tu novistin.* Es ist zu interpungieren: *sed tu, novistin* ss. . . . Wenn jemand sich einer anderen Person zuwendet, oder auf einen neuen Gegenstand zu sprechen kommen will, so wird der Frage oft *sed tu* vorausgeschickt." Ad Most. v. 522 in editione Sonnenscheiniana simillima quidem, aliquanto tamen certiora invenimus annotata: „*sed tu, etiamne.* A question addressed to a new person, or to the same person as before, but a new subject, is frequently prefaced by *sed tu* in Plautus, to attrect attention to the person addressed." Quae si vera sunt, et hos versus ab omnibus tenebris expediunt:

As. 149: at scelesta viden ut ne id quidem . . . existumat
Capt. 788: sed Ergasilus estne hic, procul quem video?
Mil. 181: sed Philocomasium hicine etiam nunc est? . . .

Seyffertus Sonnenscheiniusque etiam Most. v. 362 analogia quadam explicare student [1]), qua de causa Leo et Lindsaius ita scribunt:

Most. 362: sed ego — sumne infelix, qui non curro curriculo domum?,

cum in editione Goetz-Schoelliana proinde atque in Sonnenscheiniana haec sint:

Most 362: sed ego, sumne infelix, qui non curro curriculo domum?

Attamen cave neglegas haec tria: Primum vehementer dubitandum est, an omnino in Most. v. 522 elato *tu* pronomine opus sit ad sententiam recte percipiendam. Deinde cum Mil. v. 181 et Capt. v. 788, quod quidem ad *ne* particulae collocationem attinet, iustius conferas

As. v. 585: . . . Philaenium estne haec quae intus exit?,

ubi eadem prorsus ordinandi ratio observetur excepto eo, quod

[1]) cf. Seyffertus, l. c. „Nach dieser Analogie heißt es auch im Selbstgespräch des Tranio: *sed ego sumne infelix.*" Sonnenscheinius, l. c. „and on this analogy may be explained the *sed ego sumne* in Most. 362, where Tranio addresses himself."

sed coniunctione et illic et compluries efficitur; de loco autem, quem *ne* in As. v. 149 obtinet, quid censeas, rectius ex hoc versu cognoscas:

Trin. 350: . . . sed civi immuni scin quid cantari solet.

Vides enim et hic et illic quaestiunculam totam et integram alteri enuntiato insertam, ita tamen ut in hac ipsa *ne* vocula suum obtineat locum, dico:

As. 149: . . . viden ut . . . .
Trin. 350: . . . scin quid . . .

His igitur locis quodam iure per parenthesin haec edamus:

As. 149: at scelesta — viden ut — ne id quidem . . . existumat.
Trin. 350: . . . sed civi immuni — scin quid — cantari solet.

(cf. Wackernagelius, Verm. Beiträge, 23/4.) Postremo omni ex parte displicent, quae Seyffertus et Sonnenscheinius de Most. v. 362 disputaverunt. Iam Kaempfius (de pron. pers. 43) huic loco annotavit: „sed verba *sed ego sumne* non solum propterea nos offendunt, quod . . ., sed magis etiam, quia, si particula *ne* verbo (Verbum!) affixa est, pronomen pers. subiecti loco adhibitum semper sequitur, non antecedit“, quamquam verius hoc monendum fuit: *sed ego sumne* vocabulorum ordo eam ob rem nos offendit, quod in omnibus ceteris enuntiatis interrogativis, quae a *sed* coniunctione incipiunt, *ego* pronomen subsequitur *ne* particulam secundo sententiae vocabulo affixam:

Bacch. 509: sed satine ego . . . . . .
Merc. 301: sed ausimne ego . . . .
Pers. 75: sed sumne ego . . . . .
Stich. 517: . . . sed satin ego . . .
Stich. 582: sed videone ego . . . .

Accedit quod *ego* pronomen in Most. v. 362 obvium tanto notionis pondere omnino non est, ut poeta hoc loco — id quod Sonnenscheinii quidem sententia videtur esse — idcirco a collocandi usu ceteroquin diligentissime observato recedere coactus sit. Imprimis autem, ut Sonnenscheinium item ac Seyffertum sicubi in eis quae ad Most. v. 362 annotaverunt errasse dicamus, ipse Pers. v. 75 me commovet, ubi Saturionem parasitum, qui secum loquitur, iisdem fere verbis, alio tamen eoque usitato vocabulorum ordine uti videmus:

Pers. 75: sed sumne ego stultus, qui rem curo publicam.

Iam igitur intentius perpendamus hos duos locos simillimos et

tamen diversos. Primum omnium voces, de quibus agitur, non in eiusdem generis versuum initio occurrere conspicuum fit. Pers. enim v. 75 senarius iambicus est, Most. autem v. 362 trochaicus septenarius:

Pers. 75: sed súmne ego stúltus, quí . . .
Most. 362: séd ego súmne infélix, qui . . .

Sed tamen fas non esse dicere concedo Plautum non nisi metri necessitate (i. e. quam vulgo spectamus) coactum aliam vocum collocationem in iambico, aliam in trochaico versu adhibuisse. Enimvero, etiamsi haec, quam Brixius et Kaempfius commendaverunt, scriptura:

Most. 362: séd sumne ego ille infélix, qui . . .

ab usu Plautino abhorreat (cf. Kellerhoffius, in Stud. stud. II. 54), fatendum sit potuisse quidem dicere:

Most. 362: séd sumne ego homo infélix, qui . . .

(praeter Bacch. 623, Cas. 303, cf.

Pseud. 908: . . . súmne ego homo insipiéns, qui . . .
Merc. 588: súmne ego homo misér, qui . . . .)

Aliam igitur metricam rationem ad eam, qua cogente in diversi generis versibus *Diéspiter* pro *Júppiter*, *quo pácto* pro *quó modó*, *quid vérbis ópus est* pro *quid opúst verbís* vel *quíd verbís opúst* vel *quíd opust vérbis*, alia scribi intelleximus (cf. pag. 16 sq.) accedere debuisse consentaneum est, ut poetae in Pers. v. 75: *sed súmne ego* . . ., in Most. v. 362: *séd ego súmne* . . . ponere liceret. Est autem lex illa Bentleiana. Item enim ac Plautus in locutione illa decies obvia [1]), quae apud Terentium hanc formam habet:

Ad. 943: . . . vís est haéc quidem . . .

vocabulorum ordinem, ut voces vi ac gravitate praeditas ictu notaret, hunc in modum mutavit:

Capt. 750: vis haéc quidem . . . . est . . ..

item dico in Most. v. 362, ne *sum* formam verbi substantivi hoc loco satis magna notione insignem extra arsin ponere oporteret, aliquanto inusitatiorem hanc collocandi viam iniit: *séd ego súmne* . . . At nescio an his omnibus expositis quispiam subdubitaverit,

[1]) cf. Lindsaius, ad Capt. v. 750: „*vis haec quidem hercle est* a current phrase“; Seyffertus, Lael. 178/9.

an re vera res ita se habeat. Ut ei igitur omnem denique scrupulum eximere possim, haec addam:

quid ego nunc faciam? (accent marks 1 and 3 above *quid* and *faciam*)

Quae quaestio usitatissima eos quos scripsi accentus habet in ineuntibus his versibus trochaicis: Cas. 548, Curc. 555, Men. 963, Mil. 305, Most. 371, 1149. Hanc quaestionis formam in cottidiano quoque sermone usurpatam ac sollemnem esse inde apparet, quod apud Plautum nulla hac saepius occurrit et quod *ego* vox enclitica hic suum habet locum et inde quod locutio simillima

quid ego núnc agám

vel

quid ego núnc cum illóc agám

non nisi hunc in modum scripta invenitur (Aul. 274, 447, Cist. 528, Men. 568). Nihilominus illa, ex qua orsus sum, quaestio, ubiubi in iambicorum versuum initio (Bacch. 857, Merc. 712) obvia est, ratione metrica, quam vulgo dicimus, nequaquam cogente, alium vocabulorum ordinem praebet:

quid núnc ego fáciam.

Quid causae fuit? Poeta, ne *nunc* vocem in hac locutione aliqua notionis gravitate insignem (cf. quod est in nostra lingua: *Was jetzt*) extra arsin poneret, metrorum diversitate diversam collocandi rationem adhibere coactus est [1]). Locutiones igitur contra familiariter loquendi consuetudinem ita scriptae:

quid núnc ego fáciam
sed ego súmne infélix

eo tantum inter se differunt, quod *ego* pronomen nihil maiore vi sententiae praeditum hic praeter rationem paululo quidem promoveatur, illic removeatur. Iam omnes mihi concessuros esse spero in Most. v. 362 quod Bentleius scripsit

: sed ego sumne infelix . . .

accipiendum esse, reiciendum quod Leo et Lindsaius habent

: sed ego — sumne infelix . . .

[1]) Fortasse ne in Ep. quidem v́. 255 quod B. I. libri exhibent: (cf. Kellerh. II. 55)

,quid ego fáciam núnc'

absurdum esse fas est dicere. In hac enim locutione haud scio an hoc loco, i. e. ubi proxime antecedant eiusdem personae haec dicta: 246: . . *perii hercle* . . ., 253: . . . *certo ego occidi, nunc* voce summopere intensa opus fuerit, cui postulato inservire potuisse ipsam illam collocationem ex his K. Brugmanni verbis cognoscas (K. vgl. Gr. 681): „Die Fragesätze zeichnen sich meist durch höhere Stimmlage, namentlich durch beträchtlicher steigenden Ton im Ende aus."

vel quod legitur in editione Goetz-Schoelliana ac Sonnenscheiniana

: sed ego, sumne infelix . . .

Quid vero iam dicamus de Ep. v. 503 et Most. v. 522, ubi enuntiatum interrogativum *sed tu* vocabulis inchoatur? Non nihil spectans in pag. 38 Kaempfium rectius monuisse dixi, *ego* pronomen in enuntiatis interrogativis, quae a *sed* coniunctione incipiant, *ne* voculam alteri sententiae voci affixam subsequi solere. Idem enim in *tu* pronomen non videtur cadere. Immo *tu* pronomen in eisdem enuntiatis vel eis, quae ab initio *at* coniunctionem habent, quoad quidem e paucis eiusmodi locis aliquid concludere liceat, *ne* voculam antecedere solet, sive, quod eodem spectat, *sed* vocem nullo vocabulo interposito sequitur. Quod dictum ne hunc quidem versum labefactare consentaneum est:

Mil. 1034: . . . at scin quid tu facias . . .

Contra non minus sane ambiguum videatur an liceat huius rei explicandae causa monere *sed tu* vocum continuationem et quod supra commemoravi, h. e. *que* . . . *et* voculas subsequi, ubi sit, notionem a *t* vel *d* littera incipientem, communi quodam vinculo satis conspicuo inter se ligari. Aptius tamen videatur respicere et alibi (cf. p. 57) eiusdem generis varietatem in *ego* et *tu* pronominibus collocandis observari et simile quoddam in his versibus inveniri:

Most. 464: di te deaeque omnes faxint . . . . . .
Most 684: di te deaeque omnes . . perdant . . .
Most. 192: di deaeque me omnes . . . interficiant
Pers. 292: . . . . di deaeque me omnes perdant.

— Tertio enuntiationis, quae a coniunctione quadam incipit, vocabulo *ne* particula in hoc quoque versu adhaeret:

Curc. 18: et heri cenavistine? . . .

— Cave tamen existimes *ne* voculam non nisi in huiusmodi enuntiatis suum locum non habere. Immo ne hoc quidem affirmare licet *ne* particulam interrogativam in obliqua tantum oratione, aut ubi vocabulum subiecti loco adhibitum antecedat cui *ne* vocula annexa sit, longius ab initio sententiae recedere [1]). Testes sunt hi versus:

Trin. 178: qui emisset, eius essetne ea pecunia
Poen. 181: rogato, servos veneritne ad eum tuos

[1]) cf. Handius, Turs IV. 75 sq.

Poen. 730: . . . . interrogem,
„ 731: meus servos ad eum veneritne . .
Most. 62: ervom daturin estis . . . .
As. 928: . . . . . anima fetetne uxoris tuae
Capt. 1021: . . . pater meus tune es . . . . .
Trin. 987: . . . . . . is ipsusne es . . . . . .
Trin. 988: . . . . . . ergo ipsusne es . . . . .
Trin. 1162: istac lege filiam tuam sponden mi . . .
As. 579: argenti viginti minas habesne . .
As. 585: . . . . Philaenium estne haec . . .
As. 128: promerenti optume hocin preti redditur
Aul. 432: volo scire . . ., meae domi mean salva futura,

fortasse praeterea huc pertinet:

Mil. 376: . . . . . Me viden? Te video [1]).

Qua de causa poeta his locis a lege plus miliens observata recesserit, vix pro certo affirmari poterit. Recordandum opinor esse elegantiam potius quam legem esse, ut voces encliticae primum enuntiati vocabulum subsequi studeant. Neque tamen omittam quae mihi hoc loco memoratu digna esse videantur: ad Capt. v. 1021 cf. quae dixi de *pater meus* in pag. 27; *ad eum,* quod in Poen. v. 731 occurrit, *ne* voce dirimi non potest (cf. pag. 42); Trin. v. 1157 conferas velim cum Trin. v. 1162, Cist. v. 597 cum Mil. v. 376, Rud. v. 1035 cum Trin. v. 178. Non nihil dubitandum est, an etiam in Stich. v. 350, quem Leo sic edidit

: quid? illos itidemne esse censes quasi te . . .,

ne particula suum locum non habeat. Quid enim impedit, quominus item atque in Bacch. v. 839

: quid illam, meretricemne esse censes . . .

loco allato hunc in modum interpungamus

: quid illos, itidemne esse censes . . . [2])

Specie tantum *ne* alteri sententiae vocabulo agglutinatur, ubi hoc pendet ex aliqua praepositione. Sciendum modo est *ne* aliter ac *que* particulam huius generis coagmentationes divellere nullo negotio posse:

Aul. 746: cum istacine te oratione . . .
Pseud. 47: pro lignean salute . . . . . .
Trin. 902: ab ipson . . . .
Trin. 1022: inter eosne homines . . . . .
Truc. 805: pro filiolon . . . .
Truc. 959: . . . . . cum hocin . . . . . .

[1]) cf. Kaempfius l. c. p. 43/44. [2]) cf. Seyffertus, Lael. 177/8.

Attamen in

Stich. 428: ad cenam ibone . . .

ne longius, quam par fuerit, ab initio sententiae recessisse perspicuum est. — Iam quaeramus, numnam *ne* vocula aliquam tmesin, quam dicunt grammatici, efficere potuerit. Modo neglexeris quod dixi de vocibus cum praepositione quadam conglutinatis, omnino non invenies, quo *ne* particula interrogativa — quod quidem ad tmesin attineat — differat a *que* particula copulativa. Saepenumero *ne* vocula seiungit vocabula attributim inter se consociata: [Bacch. 479], Capt. 845, Cas. 1007, Curc. 559, 616, 695, Ep. 688, Mil. 626, Most. 26, 669, Pers. 338, Pseud. 47, 83, 847, 1095, Stich. 327, Trin. 1065, 1095, Truc. 925, 933. Praeter *ne* alia vocula enclitica intercedit inter voces separatas his locis:

Pers. 747: . . . tuan ego causa . . . .
Rud. 189: hancine ego ad rem . . . .
Rud. 190: hancine ego partem . . . .
Bacch. 447: . . . hocine hic pacto . . . .
Mil. 488: . . . meamne hic invitam hospitam
Pseud. 202: huncine hic hominem . . . .
Truc. 285: nullan istic mulier . . . .
Rud. 839: meamne ille amicam . . . .
Aul. 746: cum istacine te oratione . . . . . .
Capt. 853: . . . mean me causa . . . .
Stich. 259: nullan tibi lingua . . . .

Et vox enclitica et verbum (Verbum!) ultro intercedit in

Aul. 812: erumne ego aspicio meum . . . .
Trin. 512: nostramne, ere, vis nutricem . . .[1]),

unum verbum hoc loco:

Bacch. 838: bellan videtur specie . . .

Singularia sunt haec exempla:

As. 932: istoscine patrem aequom est mores . . . . .
Bacch. 842: meamne hic Mnesilochus, Nicobuli filius
„ 843: per vim ut retineat mulierem . . . .

Tmesi resistere videtur:

Truc. 779: . . . eodem pacton . . .

Studemundus quidem *pacto* pro *pacton* scribendum proposuit; Leo, quippe qui tamen *pacton* servaverit atque huic versui haec annotaverit: „*eodem* p. artius cohaeret quam quae affert Kaempfius de

[1]) de ‚ere' vocativo cf. pag. 53, 55, 68.

pron. pers. 45" sibi persuasisse videtur *eodem pacton* scripturae excusationem hinc praesto esse, quod *eodem pacto* vocabula tam arte inter se cohaereant, vix ut recte *ne* vocula dirimi possint. Quod non ita esse imprimis ex his exemplis cognoscas: Pseud. 83: *istocine pacto,* Bacch. 479: *nullon pacto,* Bacch. 447: *hocine hic pacto,* Curc. 695: *hocine pactó,* Capt. 42: *eodemque pacto.* Ego de Truc. v. 779 haec iudicare ausim: Et quod Studemundus proposuit, et quod Leo annotavit, et quod Kaempfius sibi persuasit refutandum est; vera scriptura *eodem pacton* est, quam poeta praeter rationem admisit metri necessitate coactus (Truc. 779: *éodem pácton,* Capt. 42: *eodémque pácto*; cf. *quó modo, quo pácto*).

ve.

Ve particulam, etsi apud Plautum perraro — 30^{ies} fere — occurrit, cum *que* et *ne*, praecipue autem cum *que* vocula propinquae cognationis vinculo coniunctam esse satis elucet. Grammatico accentu amisso *ve* particula item ac *ne* vel *que* per se stare non potest. Ictu metrico *ve* numquam prorsus feritur. — Aeque ac *que* voculam *ve* non nisi primo enuntiationis vocabulo annecti dicendum est, etsi perspicua sane eademque condicione ac *que* particula (cf. pag. 30 not. 2) ab hoc loco recedit: Amph. 74, Aul. 68, Capt. 995. Voces, quae, quod ad syntaxin attinet, arte inter se cohaerent, *ve* particula dirimuntur hoc loco:

Aul. 68: . . . quamve insaniam.

Desunt tamen loci, ex quibus intellegatur, utrum *ve* perinde ac *que* etiam praepositiones a sua voce seiungere possit necne. De *ve aut* vocularum continuatione in As. v. 523 obvia vide quae contuli in pag. 33.

enim.

Iam disputabo de nonnullis vocibus encliticis, quae in controversia sunt, utrum praeter logicum grammaticum quoque accentum amiserint necne.

Enim voculam omnibus omnino locis suum grammaticum accentum abicere, quantum video, non est qui dicat, quamquam nescio an quispiam ex his Radfordii verbis ita rem se habere concludat: (l. c. 97) „Thus Priscian expressly informs us, that the compound conjunctions *et enim (etenim)* and *sed enim (sedenim)* have initial accent . . . . . . There càn be little doubt that the numerous other compounds of *enim* have a similar accent, i. e.

at enim, neque enim, quid enim, quod enim, id enim etc." At manifestum est huiusmodi collocationes:

nón enim (Capt. 860, Ep. 162, Mil. 283, 648, Most. 828, 1133, Poen. 286, Rud. 989, Stich. 302, 600, Trin. 705, Truc. 309, 908, [Aul. 594])[1],

núnc enim (As. 598, Capt. 534, Ep. 648),

hinc enim (Amph. 333),

sic enim (Poen. 387),

utpote quae sollemniter notatos versuum accentus habeant, re vera non unam sed duas voces amplecti fatendum esse. Quod ni ita se haberet, omnes illae collocationes sive intentiones obstarent legi quam vocamus *vom zerrissenen Anapäst.* (cf. Leo, Pl. Forsch. p. 236 sqq., G. Hermannus, elementa doctr. metr. p. 78). Verius igitur hoc tantum quaerendum est, num *enim* vox enclitica hic illic suum grammaticum accentum non servaverit. Iam subsistamus aliquantulum in *at enim* vocabulorum serie, in hac re diiudicanda saepius allata. Skutschius de *at enim* haec disputavit: (Plaut. u. Rom. p. 154) „Plautus betont nur *át enim* oder *at enim*[2]). Was das bedeutet, ist für niemand zweifelhaft, der da weiß, daß Plautus tribrachysche Worte nur auf der ersten oder dritten, nie auf der mittleren Silbe betont: hinsichtlich der Betonung stellte *at enim* ein Wort dar, so gut wie *et enim*, das man ja auch in einem Worte zu schreiben pflegt." Attamen non nihil dubito Skutschii sententiae accedere. Nam modo improbemus, quod Leo affirmavit: (Pl. Forsch. 304) „Das *m* von *enim* war zu schwach, um die Last der Positionssilbe mitzutragen", neglegendum non est *at enim* hic illic anapaestum aequare posse. Iam si vero in his senariis haec intendamus:

Trin. 806: *CALL:* Ita [1]fáciam. *MEG:* | At [2]ením | nimis . . .

Pseud. 538: dabo [1]ínque. *SIM:* | At [2]ením | scin . . . .

vel hoc in Merc. v. 159, qui est trochaicus septenarius:

Merc. 159: . . . *AC:* [5]Díce. *CH:* | At [6]ením | placide . . . . .,

ubi *at enim* unam vocem esse dicamus, quovis loco peccemus contra legem dipodicam[3]). Contra ubi Leonis verba comprobemus at-

[1]) cf. Leo, Pl. Forsch. 303/4: „*non enim* ist stets, wo es nicht mit dem folgenden Vokal verschmilzt, 1 Länge mit 2 Kürzen."

[2]) cf. O. Seyffertus, B. phil. W. 1885, p. 43.

[3]) cf. W. Meyerus. l. c. p. 13: „Dagegen sind die spondeischen, und wie Ritschl hinzufügt, die anapästischen Wörter und Wortschlüsse, deren letzte

que eo auctore et locis allatis et in Stich. v. 737 . . . *at énim* . . . intendamus, ne ita quidem *at enim* unum vocabulum fas sit dicere, ut R. S. Radfordii haec verba (l. c. 64/5) vera esse concedamus: „tribrach words such as *genere* do not as a rule admit the metrical accent upon the second syllable. Yet the statement sometimes made, that Latin tribrach words never under any conditions admit the accent *genére* in iambic verse is not altogether accurate, so far at least as regards the first foot of a verse or colon." Media quaedam via non est. Immo, quantum equidem video, aut in Scyllam aut in Charybdim incidit, qui *at enim* unam vocem esse contendere vult. Ne in Pseud. quidem versu 538, ut difficultates infringas, tuo iure hiatui mutatione personarum satis excusationis parari et hanc ipsam ob causam licere dicas hoc legere

: dabo ínque. | át enim scín . . .

Hoc enim deverticulum obstruunt C. F. W. Muelleri (pros. 666) haec verba: „[Pseud.] 538 nicht: *ínque.* | *Át enim* —, sondern: *Dabo ínque.* S. *At enim scin quid mihi in mentem venit?* oder *At énim*, sonst würde *inquito* gewählt sein." Quibus iam si opponimus et locos supra allatos et reliquos omnes, ubi *at enim* duas voces esse sumamus, et si Leonis verba probemus et si non probemus, nihil prorsus difficultatis habere, quis est quin concedat iusto iure vehementer dubitari, an *at enim* unam vocem esse re vera liceat affirmare; ceterum cf. Leonis haec verba, quae eandem respirant dubitationem: (Pl. Forsch. 303 not. 5) „Oder gibt es einen Beweis für die Behauptung von Seyffert und Skutsch, daß *at enim* für Plautus ein Wort darstelle, wie in späterer Zeit *etenim, sedenim?*" — *et enim* et *sed enim* vocum collocationes, quas, qui *at enim* unum vocabulum esse putant, ipso Prisciano teste (G. L. K. II. 93. 12) pro duabus vocibus habendas non esse dictitant, ab usu Plautino omnino abhorrere verisimillimum est. *sed enim* libri mss. nusquam exhibent, *et enim* tribus locis: Amph. 26, Bacch. 1081,

Silbe vom Versakzent getroffen wird, besondern Regeln unterworfen. Sie dürfen nur im 1. und 5. Fuße des Senars stehen, . . . dagegen kommen sie fast nicht vor im 2. Fuße, . . ." cf. ibidem p. 14, 18, 43, 44: „So erfreulich diese Übereinstimmung unserer Ansichten mir ist, so ist Draheim [Herm. 15 (1880) p. 238—243] doch auf halbem Wege stehen geblieben. Er findet das Dip. Ges. nur bei spondeischem Wortschlusse beobachtet, dann . . ." cf. Wallstedtius, stud. Pl. p. 85, O. Brugmannus, diss. Bonnens. 1874, p. 35: „aeque ac spondiaca verba etiam anapaestica secundi, tertii, quarti pedis [senarii iambici] insignem ob paucitatem suspecta sunt."

Cist. 777. Amph. autem versui 26 Leo haec annotavit: „postea adiecti videntur v. 26—38", cum in Bacch. v. 1081 et in Cist. v. 777 iam inde ex Acidalii Pareique sive Bothii temporibus omnes editores aut *sed enim* aut *at enim* vel *enim* scribant [1]. — Iam igitur et pluribus verbis de *et enim* vel *sed enim* disputare supervacaneum est et huius disceptationis finem facere licebit. Nam cum *nón enim, núnc enim, hínc enim, síc enim,* similium vocum consociatarum quamlibet suum grammaticum accentum servare pro certo constet et *at enim,* qua forma praeter *enim vero* apud Plautum nulla, quae *enim* habeat, saepius occurrit, pro uno vocabulo non esse vero proximum sit, omnino vix credibile est *enim* voculam ulla usquam condicione suo grammatico accentu privari. Quod eo minus credibile est, quod in fabulis Plautinis omnibus nulla vox cum *enim* eam conglutinationem iniit, ex qua *enim* praeter logicum grammaticum quoque accentum amisisse oporteat concludere item atque in *propte᷈r me* (Capt. 702), *ergá se* (Capt. 350) *me* pronomen per se non stare, sed cum *propter, erga* praepositionibus coaluisse fatendum sit in unam vocem uno grammatico accentu pronuntiatam. Quod quam vere dictum sit inde apparet, quod quae *enim* antecedunt vocabula ictu notata omnia unam ex his metricis figuris habent:

◡́, enim: cf. út enim,
–́, „ : „ nón enim,
◡́ ·, „ : „ égo enim,
–́ ·, „ : „ dícam enim,
◡ –́ ·, „ : „ negávi enim,
– –́ [1], „ : „ illóc enim (i. sen. Men. 251),
–́ [1] – –́ [2], „ : „ ábscedént enim (tr. sept. Pers. 670).

Accedit quod *nón enim, núnc enim,* similes intentiones sollemnes item atque *át enim, quíd enim,* aliae haud ita difficiles sunt intellectu: Primum enim accomodatae sunt legi, quam Bentleius indagavit, deinde autem saepissime in ipsorum trochaicorum versuum initio occurrunt. Enimvero mirum in modum in 8000 fere

[1]) cf. Langenus, symb. 263: „ob Plautus auch *sed enim* gesagt habe, ist zweifelhaft; überliefert ist kein Beispiel der Art . . . *etenim* dagegen in der späteren Bedeutung *nämlich* ist unplautinisch", Lindsaius, Synt. 97: „*etenim* in the prologue of the Amphitruo (v. 26) . . is said to be post-Plautine, but *sed enim* seems not to occur.", W. K. Klement, A. I. P. 18 (1897), 414; 410: „no example of *sed enim* is found in the manuscripts of Plautus or Terence."

septenariis trochaicis *enim* vocula plus 110[ies], in 9500 fere iambicis senariis, septenariis, octonariis non plus 30[ies] invenitur, atque *at enim*, quod, si summam spectas, 15[ies] fere obvium est, ipsum septenariorum trochaicorum initium 9[ies] occupat, ubi fieri non potuit, quin poeta *át enim* intenderet. Sane quod *enim* multo saepius in hoc quam in illo versuum genere reperimus, casui attribuere vix licet; contra non minus nefas erit dicere hoc inde explicari, quod poeta *át enim, nón enim,* similia intendere, sive quod eodem spectat, quod *enim* in thesi supprimere studuerit. Hoc enim Plauto, utpote poetae artificiosissimo, si voluisset, minus negotii facessisset. Aliam eamque veriorem causam subesse necesse est.

Supra (cf. pag. 36) commemoravi *enim* vocem postpositivam numquam aliud ac primum enuntiati vocabulum subsequi. W. K. Clement (l. c. 403/4) quidem in

Cas. v. 525: . . . Em, nunc enim te demum nullum scitum scitiust

enim tertium ab initio locum occupare affirmavit. At praeterquam quod eodem iure ita de

Men. v. 250: . . . . Em,
„ „ 251: illoc enim verbo esse me servom scio,

dicere licebat, quis est quin concedat etiam his locis *enim* suum locum habere? Recordandum enim est in Cas. v. 525 et in Men. vv. 250/1 enuntiatum, de quo agitur, non ab *em* sed a *nunc* vel *illoc* voce incipere. — Duobus locis *enim* vocula, ut suum locum obtineat, etiam seiungit vocabula arte inter se cohaerentia. (Men. 251, Pseud. 137.) Vera quae dicimus composita *enim* voce apud Plautum quidem non dirimuntur. Ubi alia vox enclitica in uno eodemque enuntiato occurrit, *enim* suum locum illi nusquam concedere ex his quae dixi satis apparet. Ne hoc quidem mirum est, quod *ne, quidem* voces in huiusmodi enuntiationibus *enim* voculam non nullo vocabulo intercedente sequuntur. (Aul. 500, Pseud. 538, 641, Rud. 989, Stich. 616.) At nescio an mireris, quod *esse* quoque verbi substantivi formae *enim* vocem numquam antecedunt, modo ne in ipso initio sententiae positae sint. (Bacch. 457, Capt. 568, 860, 884, 999, Cas. 525, Cist. 80, Ep. 162, 648, Poen. 286, 614, 914, Rud. 1116.) Sane fieri posse concedo, ut quod monui ex ipsa huius generis locorum natura pendeat. Attamen conferas velim quae sunt in pag. 56, 64 sq.

igitur.

Igitur vocem encliticam vix umquam totam extra arsin scribi posse consentaneum est. Quaeritur tamen, ictusne, quo *igitur* feritur, interdum non principalis sed secundarii accentus vice fungatur, h. e. voxne *igitur* suum grammaticum accentum abiecerit. In hac re diiudicanda sat erit imprimis de *quid igitur* disceptare. Iam Ritschelius (proleg. CCXXXVII) in trochaico septenario:

Trin. 333: níhil[1] istorum. quíd[3] igitúr[4]? per . . .

quid igitur syllabas quodammodo in unam vocem coalescere fatendum esse dixit, et quidem eam solam ob causam, quod voces anapaesticae (*igitur p. . . .*) item ac spondiacae rarissime secundum pedem senarii, cuius cum praemisso cretico coniunctione septenarium trochaicum nasci docet (cf. proleg. CCXL):

– ◡ – | ◡ – ◡ –́[4] . . . .

expleant[1]). Sed vir Plautinissimus, quamvis recte de vocibus anapaesticis hoc loco obviis docuerit, — vide quae attuli in pag. 45 sq. ad legem dipodicam pertinentia — neglexisse videtur, in Trin. v. 333 pedem, quem spectat, anapaestica voce omnino non expleri. Hoc enim metiendum esse apparet

: níhil istorum. quíd i¦gitúr¦? per . . .

non

: níhil istorum. quíd | igitúr¦? per . . .

Iam igitur in Trin. v. 333 et in Amph. vv. 492, 719 et in Most. v. 911 nihil est, quod *quid igitur* unam vocem esse sumamus[2]). Obstat vero ipsi huic sententiae *quid ígitur* syllabarum haec intentio haud ita raro obvia, (Amph. 62, Curc. 316, [Ep. 52], Mil. 532, Most. 667, Stich. 253) „nam quod talia ut *mémineris, récipiam* (i. e. quadrisyllaba omnia, quae proceleusmatici vel paeonis quarti mensuram aequant) accentum solent in quarta a fine syllaba habere, ea nec licentia potius quam consuetudo fuit, nec ab ulla parte versuum exclusa est“ (cf. proleg. CCXVII). At nescio an *quid ígitur* notationi inde excusationem praesto esse existimes,

[1]) cf. proleg. CCXXXVII: „porro etiam anapaesticae spondiacaeve vocis par est in secundo pede raritas. Et vere quidem anapaesticae in tota Trinummo Bacchidibusque exemplum non exstat, sed tantum ad aliquam illius similitudinem accedentia.“

[2]) cf. Wallstedtius, stud. Pl. 122 „verborum collocatione ◡́, ◡ ◡ – legem dipodicam non violari vix opus est monere“ cf. ibidem p. 106.

quod excepto Curc. v. 316 non nisi in iambicorum versuum initio obvia sit. Contra eodem iure liceat dicere *quíd igitúr* intentionem exceptis his versibus (Amph. 492, 719, Trin. 333, Most. 911) non nisi in trochaicis versibus ineuntibus occurrere, idque etiam duplo saepius quam *quid ígitur* in iambicis. (Amph. 382, 409, Bacch. 673, Men. 170, Pers. 528, 852, Rud. 1041, Stich. 624, 722.) Tantum ergo abest ut quidquam, quod de *quid igitur* sentimus, h. e. *quid igitur* non unam sed duas voces esse, improbet, ut non nihil comprobet. Evidentius tamen, quam vera haec sententia sit, patefiet, ubi docuerimus numquam prorsus ictum, neque quem ipsa *igitur* vox habeat, neque quem recipiat quae praegreditur, eum esse, ut *igitur* vocem cum praecedenti in unam uno grammatico accentu in pronuntiatione praeditam coaluisse opus sit dicere. Iam primum inquiram in ipsam *igitur* voculam, cuius ultimam syllabam natura brevem esse Ritschelio (cf. proleg. CLXXVII; C. F. W. Muellerus, pros. 48; R. Klotzius, ars. metr. 44) licebit concedere: Sollemniter *igitur* primam syllabam acutam habet (*ígitur*). Ubi ultima syllaba intenditur (*igitúr*), aliud est, ubi tribrachum, aliud, ubi positionis vi anapaestum aequat. Illic in *igitúr* intentione, quaecumque ad tribrachicarum vocum oxytonesin requiruntur [1]), minime desunt:

Amph. 409: quíd igitúr[2] ego dúbito[3] . . . . . .
Bacch. 89: áge igitúr[2] equidém[3] . . . .
Poen. 293: cúrram igitúr[2] aliquó[3] . . . .
Most. 393: quíd si igitúr[2] abeámus[3] . . . . . .
Most. 1093: quíd si igitúr[2] ego accérsam[3] . . .
Merc. 901: díc igitúr[2] ubi illá[3] est . . . .

Unus Amph. v. 719

: . . . quíd igitúr[6]? *SOS.* insánia[7],

huic dicto obversari videtur; sed videtur tantum: sciendum enim est hoc loco *igitur* vocis ultimam syllabam ancipitem esse [2]) (cf. Ritschelius, proleg. CLXXVII; Brixius ad Trin. v. 818; Haulerus ad Phorm. v. 528), ita ut Amph. v. 719 iusto iure in eis nume-

[1]) cf. Ritschelius, proleg. CCXXV: „certa . . . plerumque condicio haec accedit, ut binae breves sequantur, vel ut aliis verbis dicam, ut accentu notata syllaba cum proximis non anapaestum sed tribrachum efficiat. Ea igitur pronuntiatio propriam sibi sedem habet in septenariorum secundo vel tertio pedo."

[2]) cf. H. Jacobsohnius, quaestt. Plaut. p. 6.

remus, qui *igitur* vocem anapaesti mensuram aequantem exhibent, ex quibus unus

Capt. v. 262: nón igitúr[4] nos . . . (tr. sept.)

memoratu dignus est. *Igitúr* (⏑ ⏑ –́[4]) enim, hoc loco, si per se stare dicimus, obstat legi dipodicae (cf. p. 45 sq.). Opponendum est vero, eo, quod *non igitur* hoc loco unam vocem esse habendam contendamus, haudquaquam infringi difficultatem quae est. Choriambicum enim vocabulum in hunc locum non minus quadrat (cf. Ritschelius, proleg. CCXXXVII) quam anapaesticum. De lectione

: tum tú | igitúr[2] demum . . .,

quam nonnulli viri docti in Trin. v. 781, qui est iambicus senarius, commendant, cf. O. Seyffertus, Burs. 63 (1890) 89/90: „Stets wird betont *tum tu ígitur* oder *túm tu ígitur*; der Versuch [Trin.] v. 781 durch die Betonung *tum tú* | *igitur demum ádulescenti aurúm dabis* von dem Hiat in der Cäsur zu befreien, ist daher sehr fragwürdig." — Haec hactenus. Voces, quae igitur antecedunt, quod ad mensuram intentionemque pertinet, unius ex his formis sunt:

⏑́, igitur: cf. quid igitur,
⏑́ ·, „ : „ áge igitur,
–́, „ : „ nón igitur,
–́ ·, „ : „ íbo igitur,
⏑ –́, „ : „ manús igitur,
–́ ⏑ ·, „ : „ quómodo igitur,
⏑́ ⏑ ⏑ ·, „ : „ fídicina igitur,
–́ – ·, „ : „ spóndesne igitur,
–́ ⏑ ⏑ ·, „ : „ própterea igitur,
– –́ ⏑, „ : „ vicínus igitur,
– –́ – ·, „ : „ reddéturne igitur,
– ⏑́[1], „ : „ vosmét[1] igitur (i. s. Most. 637).

Quae si comparaveris cum eis, quae de ipsius *igitur* voculae intentione disputavi, iam tibi persuasissimum erit *igitur* item atque in *quid igitur* nusquam suum grammaticum accentum amisisse, ictumque, quo feriatur, non secundarii sed principalis accentus locum habere.

Varia est *igitur* vocis in enuntiatis collocatio: *Igitur* enim, etsi sine dubio primum sententiae vocabulum subsequi studet, tamen, praeterquam quod aeque atque *enim* aliquotiens ab initio scribitur, volubilitate quadam ab altero usque ad septimum enun-

tiati locum recedit. Intentius igitur in hanc collocationem inquirendum est. *Igitur*, si summam respicias, 160^{ies} fere apud Plautum occurrit, 15^{ies} fere initium sententiae occupat, non minus 70^{ies} fere vocabulum ab initio positum non subsequitur. Neque tamen fas est dicere, *igitur* vocem encliticam suum locum non habere nonnullis his locis, quibus locutio quaedam in Plauti comoediis sescenties obvia tota antecedit. Recordandum enim est *igitur* non eadem ac *que, ne, ve, enim* voces sed admodum debilitata enclitica natura esse, ita ut locutionis vocabula utpote arte inter se cohaerentia divellere non iam possit. cf.:

Mil. 1373: bene vale igitur ....
Poen. 568: bene vale igitur ....
Ep. 694: cedo manus igitur ....
Merc. 968: animum advortite igitur ...
Bacch. 992: ... animum advortito igitur [1])
Bacch. 108: sequere hac igitur ....
Amph. 628: sequere hac igitur ....[2])
Most. 1102: surgedum huc igitur ......

quibus addam:

Men. 1086: ... te volo igitur ....[3])

cui non obstat:

Stich. 253: quid igitur me volt ....

Similia verumtamen aliquanto liberiora haec sunt exempla:

Poen. 591: tum vos animum advortite igitur ...,

ubi non neglegas velim alioquin *tum igitur* vel uno pronomine diremptum *tum ... igitur* legi (cf. O. Seyffertus, Burs. 63 (1890) 89/90),

Ep. 449: quid [1]tíbi negotist [3]méae domi igitur ...,

quo in iambico senario recordandum videtur esse, quod Bentleius Ritscheliusve (proleg. CCLXX) verisimillimum esse dixit, h. e. „aliquanto plus gravitatis priorem quam alteram arsin cuiusque dipodiae habere"; cf. tamen cum:

Cas. v. 97: quid tibi negotist mecum ....

---

[1]) cf. E. Nordenius, mus. Rhen. 49 (1894) 205: „Für Plautus ist die Verbindung ‚animum advortere', wenn sie auch äußerlich noch nicht zu einem Worte geworden ist, doch schon so sehr zu einem Begriff erstarkt, daß er die beiden Worte nie von einander zu trennen sich erlaubt."

[2]) cf. C. F. W. Muellerus, pros. 376.

[3]) cf. Kellerhoffius, in Stud. stud. II. 80 sqq.

tum:

Poen. v. 1306: quid tibi negotist autem cum istac ...

Praeterea huc pertinent:

Capt. 293: sequere hac me igitur. Eadem ...
Most. 857: sequere hac me igitur. *TR.* ....

Difficillime est dictu, cur poeta in his versibus aliam collocationem adhibuerit atque in simillimis supra allatis:

Bacch. 108: sequere hac igitur me intro ...
Amph. 628: sequere hac igitur me, nam ...

Operae tamen pretium est et hos et illos versus comparare cum eis, quos infra scribam:

Capt. 953: ... sequere hac, Philocrates, me intro ..
Curc. 87: sequere hac, Palinure, me ad fores .....
Cist. 631: .... sequere hac me, Selenium,
„ 632: ut ....
Pers. 332: sequere hac, mea gnata, me cum dis ....
Pers. 752: sequere hac, mea gnata, me usque ad ...
As. 941: ... sequere hac me, mi anime. *ARG.* ..
Trin. 1: sequere hac me, [mea] gnata, ut ......[1])

Ex his enim exemplis cavendum esse apparet ne transponamus cum in Amph. v. 628, tum in Bacch. v. 108 *igitur* et *me* voces, spectantes Capt. 293 et Most v. 857, ac praeterea:

Mil. v. 1009: sequere hac me ergo. *PYRG.* ...

In Amph. quidem v. 628 [2]) *me igitur* vocabulorum ordinem comprobemus aliquo modo, nullo in Bacch. v. 108 [3]). — Denique hic ponam:

Rud. 348: quid tu agis hic igitur ...,

ubi *igitur* vocem antecedit *hic* vocula una cum *quid tu agis* sollemni quaestione (cf. Rud. 337, Ep. 9), quacum conferas:

Ep. 151: quid illa fiet fidicina igitur ...

Diiudicare equidem nolim, num etiam in versibus infra perscriptis, quae *igitur* antecedunt locutionis vocabula, tam arte inter se cohaereant, ut *igitur* vox enclitica iusto iure non intercedat:

Most. 848: [1]íbo intro [2]ígitur ....
Mil. 812: [1]éo ego intro [2]ígitur ....,

---

[1]) de vocativis his locis obviis cf. p. 43, 55, 68.

[2]) cf. Kellerhoffius, in Stud. stud. 83/4: „videtur ... Fleckeisenus in priore versu (i. e. Amph. 628) recte edidisse *sequere hàc me igitur*,

[3]) eundemque verborum ordinem etiam Bacch. 108 proposuerim."

(ubi Leo meo quidem iudicio deterius hoc edendum iussit

: égo eo intro ígitur . . . . . .);

versibus enim modo allatis obstant tria exempla, quae eandem locutionem, aliam collocationem praebent:

Mil. 1121: ibo ígitur íntro . . . .
Truc. 205: ibo ígitur íntro . . . .
Trin. 818: . . . eo ego ígitur íntro . .

Iam ex ascripto rhythmico accentu huius diversitatis causam iterum inde repetendam esse cognoscitur, quod eadem vocabula hic in iambicorum, illic in trochaicorum versuum initio sunt. Dubium enim non est, quin poeta *eo ego igitur intro* in ineunte versu trochaico, ne crearet proceleusmaticum quodammodo decrescentem (◡́ ◡ ◡ ◡), etsi non omnino illicitum [1]), tamen nihil suavitatis habentem, mutaverit in *eo ego intro igitur*. (cf. pag. 58.) Accedit sane, quod ne *igitúr intro* quidem acuere poetae licebat [2]) (cf. pag. 50), quam ipsam ob causam in Most. v. 848 non *íbo igitúr intro* sed *íbo intro ígitur* legitur. Forsitan ergo iam quispiam dixerit *igitur intro* non *intro igitur* legitimum esse verborum ordinem. At nescio an tuo iure de hac re in ipsum contrarium disputes his de causis: In Mil. v. 1121 et in Truc. v. 205 si legeremus *ibo íntro igitúr. tu* . . . pro *ibo ígitur intro.* sive *ibo íntro igitúr? quippini?* . . . pro *ibo ígitur íntro?* sine dubio bis peccaremus contra legem dipodicam (cf. p. 45 sq.); in Trin. autem v. 818 ne fieri quidem versus potuisset, si poeta non *igitur intro* sed *intro igitur* scribere voluisset. Ad

Poen. v. 1356: ite ígitur íntro, múlieres . . .

in hac re diiudicanda recurrendum non est. Nam in hoc quoque versu poeta, quominus *ite íntro igitúr mul.* collocaret, impeditus est lege dipodica. Postremo si quis *igitur intro*, cum saepius quam *intro igitur* occurrat, legitimam esse collocationem affirmare velit, huic sententiae obstare monendum sit:

Bacch. v. 902: abeo ad forum igitur . . .,

[1]) cf. Brixius, ad Mil. v. 997b; C. F. W. Muellerus, pros. add. 65; Ritschelius, proleg. CCXL.

[2]) cf. Ritschelius, proleg. CCXXV: „affinis dactylicorum huic notationi – ◡́ ◡ haec est – ◡́ vel soluta paenultima ◡ ◡ ◡́ : quam sua sponte intellegitur non posse non syllabam brevem sequi.“

quocum conferas hanc collocationem aliquanto etiam inusitatiorem:

Most. 847: . . . . ergo intro eo igitur . . .

Iam satis multa; nam quae disceptavi ad umbilicum perducere equidem non possum. — Progrediamur ad eos locos, quibus *igitur* re vera secundum enuntiationis locum occupat. Quod saepissime accidit, ubi alia vox enclitica in uno eodemque enuntiato obvia antecedit *igitur* voculam ut non nihil minus encliticam. Imprimis huc pertinent pronomina et *esse* verbi substantivi formae, de quibus infra fusius agam. Ordiar a nonnullis versibus, inquibus alia ac modo dixi vox enclitica hunc in modum, sive sola, sive una cum pronomine quodam antecedit:

Poen. 1157: . . . spondesne igitur . . . . . .
Most. 580: reddeturne igitur . . . .
Trin. 756: quo pacto ergo igitur . . . . . .
Most. 525: . . . quid modo igitur . . . . . .
Men. 153: age sane igitur . . . .
Pseud. 756: quid nunc igitur. . . . .
Curc. 542: . . . quor nunc a me igitur . .
Most. 283: . . . quem obsecro igitur . . . [1])
Merc. 484: . . . quid vis me igitur dicere [2])
Men. 1028: sic sine igitur . . . abire . . .
Merc. 578: quid si igitur . . . .
Merc. 418: quid si igitur . . . .
Most. 393: quid si igitur . . . .
Most. 1093: quid si igitur . . . . [3])

quibus denique addam:

Pseud. 1295: . . . quid tu, malum, in os igitur . . .

In hoc enim versu insolentissima vocum collocatio videtur esse quamvis levem habeat explicatum; scienda modo haec sunt: *quid tu* voces *igitur* vocula seiungi non posse infra (cf. pag. 58) cognoscemus; sequitur *malum* vocativus, quem utpote enclitica natura praeditum (cf. Wackernagelius, J. F. 1 (1892) 425) (cf. pag. 43, 53, 68). *igitur* vocem praecedere posse fatendum est; Post vocativum autem, ubi vox in pronuntiatione tamquam denuo exorditur, *igitur* voculam encliticam nullo vocabulo intercedente

[1]) cf. Bacch. 840, Cist. 608, Merc. 529.

[2]) collocationi in Merc. v. 484 obviae non obstat:

Curc. 315: . . . . . . nolo . . . . . .
„ 316: . . . quid igitur vis . . .

[3]) cf. Sonnenscheinius ad Most. v. 1093: „The *igitur* belongs logically to the apodosis, but is placed in the protasis.“

vix liceeat ponere: quamobrem antecedit *in os*, cuiusmodi conglutinatio *igitur* voce dirimi non potest (cf. pag. 60). — *Esse* verbi substantivi formae in enuntiatis interrogativis *igitur* vocem interdum praecedunt:

Pseud. 1067: . . . . . . quid est igitur boni
Merc. 159: quid [id] est igitur quod vis . . . .
Amph. 362: . . . quis erus est igitur tibi
Mil. 427: quis ego sum igitur . . . . .
Mil. 1431: quis erat igitur . . . .
Trin. 978: quis ego sum igitur . . . . . .

Noli tamen ad severiorem aliquam normam hanc legem exigere. Omnino refutandae sunt elegantissimae illae de hac re leges satis severis logicis rationibus astrictae et tamen a non nullis grammaticis constitutae vel comprobatae. cf. pag. 48, 64 sq. — Pronomina, — agitur imprimis de pronominibus pers. et nonnullis demonstr., exceptis sane eis, quae ab initio sententiae collocantur — quippe quae particulam *igitur* tum antecedant tum sequantur, vix secundum ullam umquam legem collocari videantur: Amph. 210, 362, 409, 628, 744, 790, 794, As. 107, 330, 626, 666, 693, Aul. 224, Bacch. 108, Capt. 262, [280], 293, 624, 641, 857, Cas. 374, Cist. 452, 602, Curc. 239, 259, 542, Ep. 116, 151, 282, 284, 483, 499, 515, 587, Men. 169, 208, 388, 1086, 1126, Merc. 159, 418, 484, 976, Mil. 427, 812, Most. 261, 304, 393, 637, 857, 1093, 1102, Pers. 189, 742, Poen. 497, 591, Pseud. 91, 1295, Stich. 86, 253, 335, 363, Trin. 70, 676, 781, 978, Vid. 55. Sunt tamen nonnullae quaedam leges plus minusve certae ac perspicuae: minus certae ac finitae, quae pendent ex illa quaestione, utrum pronomina de quibus agitur notionis pondere insignia sint dicenda necne (cf. Ritschelius, proleg. CCLI), validiores ceterae; omnes vero iustius eam ob causam constituuntur, quod eaedem valent in *autem* particula *igitur* voculae natura simillima:

1. pronomina, quae pendent ex aliqua praepositione, *igitur* vocem sequuntur,
2. item sequitur pronominum dativus [1]),
3. nominativus et accusativus
   a) sequuntur *igitur* voculam, ubi logicum accentum habent,
   b) antecedunt, ubi non habent.

ad 1. cf. Men. 208, Most. 304, [Amph. 790]; obstat: Curc. 542.

[1]) haud scio an genetivus quoque huc pertineat; at vix umquam occurrit.

ad 2. cf. Amph. 362, 744, 794, Aul. 224, Ep. 282, Men. 388, 1126, Merc. 418, Pseud. 1295, Trin. 676, Vid. 55; obstat: Curc. 259.

ad 3a. cf. Cist. 608/9, Amph. 744, Merc. 976, Stich. 335, 363. Dubito an etiam

Cas. v. 374: tum igitur ego . . . .
et Capt. v. 641: tum igitur ego . . . .

hic ponere liceat. In Cas. quidem v. 374 fortasse *ego* pronomen aliqua notionis gravitate praestare aliquo iure dicas; cf.

Cas. v. 393: . . . nunc tu, Cleostrata,
„ „ 394: ne a me . . . .

Vix tamen ita iudicare liceat de Capt. v. 641. Nonne aptius videatur monere Plautum metro nihil adversante numquam *tum ego igitur* pro **tum igitur ego**, sollemniter autem **tum tu igitur**, non *tum igitur tu* dicere? Iam enim neminem fugiet huic observato simillimum esse quod supra (cf. pag. 41.) commemoravi, dico apud Plautum numquam *sed . . . ne tu* pro **sed tu . . . ne**, sollemniter autem *sed . . . ne ego*, non *sed ego . . . ne* inveniri, et quod ibidem huic adiecimus etsi non eadem prorsus librorum fide praemunitum, dico

di te deaeque omnes . . .

locutioni obstare

di deaeque me omnes . . .

Quibus omnibus possit quidem subesse phonetica quaedam elegantia, unde, si re vera sit, altera ex parte (cf. ad 3b) etiam

Cist. v. 452: tum tu igitur . . . . ,

ubi *tu* pronomen satis gravi significatione praeditum antecedit *igitur* particulam, excusationem habeat.

ad 3b. As. 107, 626, Ep. 116, 284, 483, 587, Capt. 624, 857, Cist. 452, 602, Merc. 159, 484, Mil. 812, Most. 261, Pers. 189, 742, Poen. 497, Stich. 335, 363, Trin. 70, 781.

Vocabulorum ordinem singularem exhibet

As. v. 330: $\overset{1}{\text{túm}}$ | igitúr tu $\overset{3}{\text{díves}}$ es fáctus? . . .

excusabilem tamen hanc ob causam: *dives* [1]) vocem accentu rhythmico notari ipsius vocis vis et gravitas iussit. Poeta autem, si et *tum tu igitur* scribere et *dives* intendere voluisset, non habuisset, quo lacunam inter alteram et tertiam versus arsin relictam expleret

: túm tu $\overset{2}{\text{igitúr}}$ . . . $\overset{3}{\text{díves}}$ . . .

[1]) cf. Leo ad As. v. 330: „*dives* monosyllabum."

Ne *es* quidem vocula hunc in locum quadrabat. (cf. pag. 54.) Quamobrem poeta et *tu* pronomen post *igitur* particulam collocare coactus et post *tum* monosyllabum hiatum non ita insolentem fieri passus est. cf.:

Rud. 348: quid tu ágis . . . .
Rud. 337: quid ágis tu. | *AMP.* áetatem . . .,
non: quid tu ágis . . . . . áetatem . . .

Mirum in modum

Pers. v. 742: quid ego ígitur césso . . . .

discrepare videtur ab his versibus:

Amph. 409: quíd igitúr ego dúbito . . . . .
Most. 1093: quíd si igitúr ego accérsam . .

Iam nescio an *quid igitur ego* legitimam collocationem esse putes ac recordatus Plautum *quid tu igitur* dicere solere (cf. pag. 57.) in discrepantiam, quae sit in *tu* et *ego* pronominum ordinandorum usu, idem cadere contendas, quae supra de ea disputavi. (cf. pag. 41, 57.) Videtur tamen hicquidem res aliter se habere ac non *quid igitur ego* sed *quid ego igitur* sollemnis vocabulorum ordo esse. Nam si *quid igitur ego* dicendi usus fuisset, poeta in Pers. v. 742 haud cunctanter

: quid ígitur cesso ego infélix lamentárier

scribere potuisset pro

: quid ego ígitur cesso infélix lamentárier.

Contra si *quid ego igitur* homines dicere solebant, poetae ab hac collocatione, quamvis accomodata ad iambici versus initium (Pers. 742), recedendum erat in ineunte versu trochaico, velut in Amph. v. 409, modo huius generis proceleusmaticum (◡́ ◡ ◡ ◡) (cf. p. 54) admittere nollet. At his expositis forsitan quispiam non solum *quid ego igitur* sollemniter dici sibi persuaserit, verum etiam in Most. v. 1093 haec scribenda proposuerit pro eis quae codices habent, eaque praesertim cum

Cas. v. 270: . . . quid si ego autem . . .

simillimam scripturam habeat et hianti quem spectamus Most. versui, hac ratione mederi possis:

Most. 1093: quíd si ego igitur áccersam hómines[1]) . . .

pro:

Most. 1093: quíd si igitur ego accérsam | hómines . . .

[1]) cf. Lorenzius: quíd igitur, si ego áccersam hómines . . .

Attamen si diligentius allatum Cas. versum expenderis:

Cas. 269: *CLEOST:* quid si ego . . . .
„ 270: . . . *LYS:* quid si ego autem . . .

ac memineris, quae supra (cf. pag. 55) de *quid si igitur* attuli, non pertinere videbis legitimum illum verborum ordinem: *quid . . . ego igitur* ad Most. v. 1093. — Postremo hic scribam

Most. v. 636: . . . . solvite
„ „ 637: vosmet igitur . . . .

ubi, quod mirum videatur, explicatur inde, quod primum enuntiati vocabulum versificatione quodammodo divellitur a ceteris. (cf. pag. 69.) — Iam satis de pronominibus. Leges quas constitui non sane spectant ad ea pronomina, quae sunt in sollemni quadam locutione *igitur* voculam tota antecedenti. Ne hoc quidem mirum, quod eaedem leges hic illic perrumpuntur notissima illa lege, ut compluria eiusdem sententiae pronomina nullo vocabulo interposito inter se coniungi studeant (cf. Kaempfius, de pron. pers. 31; Leo, N. G. G. 1895, 432; O. Seyffertus, Burs. 63 (1890) 58).

Praeter voces de quibus disputavi encliticas interdum etiam coniunctiones *igitur* aeque ac *ne* particulam de suo loco movisse hi versus testantur:

Ep. 116: . . . nam quid te igitur retulit,
Poen. 555: . . . sed agite igitur . . . . . .

quibus denique addam hos locos minus perspicuos:

Amph. 362: . . . quis erus est igitur tibi
Poen. 860: . . . quem ament igitur . . .
Stich. 335: iube me omittere igitur . . .[1])
Most. 308: age accumbe igitur . . . . . .

Tmeses *igitur* voce, cuius encliticam naturam admodum debilitatam esse intelleximus, nimirum perraro efficiuntur. Sunt duo versus huc spectantes:

Cist. 602: . . . . quam vos igitur filiam
Bacch. 599: tuo ego ístaec igitur . . . périculo,

ubi tamen neglegendum non est posterioris quidem versus initium exitumque teneri *tuo* et *negotio* vocibus seiunctis (cf. Cas. 769, Trin. 222, 331, (Nordenius, Aen. 382), Amph. 20, Most. 85, Trin.

[1]) haud scio an monere liceat quae in pag. 31 sq. de verbis (Verben!) disserui.

816). — Praepositiones *igitur* particula a sua voce dirimi non posse et iam consentaneum est et ex his versibus dilucide apparet:

Stich. 86:	post id [agam] igitur . . .
Bacch. 902:	abeo ad forum igitur . . .
Curc. 542:	. . . quor nunc a me igitur . . . . .
Pseud. 1295:	. . . quid tu, malum, in os igitur . . .

Ne inter *quo modo* vel *quo pacto* quidem voces (cf. Leo, N. G. G. 1895, 415 sqq.) *igitur* particula intercedebat:

Cist. 608:	. . . quo modo igitur . . .
Men. 1126:	quo modo igitur . . . . . .
Trin. 756:	quo pacto ergo igitur . . .

Quae cum ita sint memoratu digna videtur haec vocabulorum tmesis:

Trin. 6:	nunc igitur primum . . . .
Trin. 781:	tum tu igitur demum . . .

quibuscum conferas velim Cas. 525, Capt. 1023.

autem.

Autem particula sine dubio multo quidem facilius quam *igitur* ab arsi excludi poterat. Nihilominus haec particula 135[ies] fere obvia longe plurimis locis versus ictu feritur. Iterum tamen expediendum est, hicine ictus pro secundario aut principali verborum accentu habendus sit, sive quod eodem spectat, utrum *autem* vocala suum grammaticum accentum servaverit necne. — Ne per se quidem credibile videatur *autem* particulam aliter atque *igitur* vel *enim* et logico et grammatico accentu carere. Ac profecto, quantum equidem video, omnino non est, qui ita dixerit. Satis igitur habebo paucis confirmasse ipsius *autem* praegressique vocabuli intendendi rationem haudquaquam obstare, quominus *autem* grammaticum quidem accentum servasse dicamus: Acutae de quibus agitur voces antecedentes variantur his tantum metricis figuris:

–́, autem: cf. núnc autem,
⏑́ ⏑, „ : „ símul autem,
–́ ·, „ : „ póste autem,
⏑́ ⏑ ⏑ ·, „ : „ méo patri autem,
–́ ⏑ ·, „ : „ éccere autem,
–́ –, „ : „ réddunt autem,
⏑ –́ ⏑ ·, „ : „ Apóllini autem,

– –́ ⏑ ·, autem: cf. obsónium autem,
– –́ ·, „ : „ compréssam autem,
–́ – ·, „ : „ cóndigne autem.

Ipsa *autem* particula inusitatiorem sui oxytonesin eis tantum locis admittit, quibus positione facta spondei mensuram aequat, atque, ut omittam liberiora illa metra, nusquam nisi in prima (Aul. 367, Trin. 101, 542) et quinta (Aul. 30, Bacch. 155, Cas. 772, 775, Poen. 1124) arsi senarii vel in altera (Bacch. 91, Cist. 525, Men. 784, 964, Merc. 451) et in septima (Merc. 208, 830, Mil. 1149, Trin. 329, Truc. 838) septenarii trochaici. As. v. 100, quippe qui alias quoque ob causas corruptus sit visus, quod dixi refellere non potest [1]). — Quod confirmare volui, nullius adhuc argumenti indigere apparet. Enimvero neque ipsius *autem* neque antecedentis vocis rhythmici accentus ei sunt, ut alterutra per se stare non posse opus sit dicere.

In enuntiatis [2]) *autem* particulam simillima ratione collocari atque *igitur* vocem modo pertractatam et supra occasione data monui et infra compluries evidentissime patefiet: — Initium sententiae numquam quidem occupat; non minus vero 50[ies] recedit, aut certe recedere videtur a loco vocum encliticarum proprio; hic illic quartum ab initio vocabulum subsequitur. Omnium primos hic ponam duos versus, in quibus tota quaedam locutio non iam ignota (cf. p. 52/3) praecedit *autem* particulam:

Poen. 1306:	quid tibi negoti est autem cum istac . . .
„ 1344:	quid tibi mecum autem . . . .

Priusquam progrediar ad illos locos, quibus *autem* pronominibus, *esse* verbi substantivi formis, aliis vocibus encliticis suum locum concessit, pluribus verbis disputabo de eis, qui sunt *autem* voculae proprii. Duo huiusmodi exempla habes in Cas. v. 55 et in Cas. v. 767, ubi post primum enuntiati vocabulum puncta geminata ponere ex ipso narrationis tenore esse videatur, quo facto *autem* suum locum recuperasse appareat:

Cas. 50:	nunc sibi uterque contra legiones parat,
„ 51:	paterque filiusque, clam alter alterum:

---

[1]) Fortasse in initio huius versus, quem Goetzius et Schoellius addita cruce critica hunc in modum ediderunt:

: † venari autem . . .,

tum vocula excidit (cf. pag. 62).

[2]) cf. Muenscherus, thes. l. l. II. 1576 sqq.

Cas. 52:	pater adlegavit vilicum, qui . . . .
	. . . .
„ 55:	filius: is autem armigerum adlegavit . .
Cas. 759:	nec pol ego Nemeae credo neque . . . . . .
„ 760:	neque usquam ludos tam festivos fieri
„ 761:	quam hic intus fiunt . . . .
„ 762:	seni nostro et nostro Olympioni vilico.
	. . . .
„ 763:	senex in culina clamat . . . .
	. . . .
„ 767:	vilicus: is autem cum corona . . . .
„ 768:	. . . . ambulat.

Aliquanto plus difficultatis habent reliqui qui huc spectant versus. Paucis primum investigabo eos, qui *tum . . . autem* loquendi formulam exhibent, de quibus Handius (Turs. I. 578) hoc statuisse satis habuit: „Plautus seiunxit, quae vulgo coniunguntur, vocabula *tum autem.*“ At nisi fallor certius hoc dici potest: Ubi quidem non duarum sed bis binarum notionum oppositio fit, semper primum alterius membri bipertiti antitheticum vocabulum intercedit inter *tum* et *autem* ceteroquin modo artissime inter se coniunctas (Mil. 1003, Poen. 882, 1313, 1393, Trin. 101, 542), modo divulsas (Aul. 560, Capt. 818, [Mil. 1006]) voculas:

Amph. 143:	ego has habebo usque in petaso pinnulas;
„ 144:	tum meo patri autem torulus inerit aureus,
Pers. 463:	tiara ornatum lepida condecorat schema;
„ 464:	tum hanc hospitam autem crepidula ut graphice decet,

quibus addere licebit hoc exemplum:

Cist. 162:	. . . . illa quam compresserat
„ 163:	decumo post mense exacto hic peperit filiam.
	. . . .
„ 173:	. . . . tum illic autem Lemnius
„ 174:	propinquam uxorem duxit . . . .

Unus Aul. v. 72 contra legem constitutam peccare videtur:

Aul. 72:	pervigilat totas noctes, tum autem interdius
„ 73:	quasi claudus sutor domi sedet . . . .;

at huic loco annotandum est *autem* particulam metri causa respuere locum, quem *interdius* (cf. Most. 444, Pseud. 1298, Rud. 7) summopere sibi expetat, — dico versus clausulam — ita ut Aul. versum 72 non nisi necessario illi legi obstare nostro iure dicamus. — Item ac *tum autem* huic simillima *sed autem, et autem, si autem* modo dirimuntur modo nullo vocabulo interposito inter se conectuntur, id quod nescio an aliquantillum mireris, quoniam

ex. gr. *sed* coniunctionem numquam *ne* vel *igitur* particulam pedisequam habere cognoscimus. Nihil tamen miri in *sed autem* quidem contiguis vocibus remanebit, modo respexeris quod in aliorum simillimum quoddam significantium vocabulorum iteratione ac continuatione valere constat: cf. *itaque ergo, ergo igitur, namque enim, quoque etiam,* alia. Satis erit quae huc pertinent ordinatim infra ponere:

Aul. 367:	si autem deorsum comedent . . .
Rud. 727:	si autem Veneri complacuerunt . .
Cist. 67:	. . . si autem non est . . . .
Pers. 454:	sin autem frugist . . . .
Cas. 307:	si sors autem decollassit . . . . .[1]
Cas. 270:	. . . quid si ego autem . . . .[2]
Rud. 472:	sed autem, quid si . . . .[3]
Truc. 335:	sed quid haec hic autem tam diu . . . stetit
Poen. 841:	et adire lubet . . . et autem . . . ausculto . . .
Merc. 119:	et currendum et . . . et autem iurigandum est . . .
Poen. 926:	nam et hoc . . . consulendum . . .
„ 927:	et illud autem inserviendumst . .
Mil. 1149:	. . . si et illa volt et ille autem cupit
Truc. 838:	. . . abite tu domum et tu autem domum.

quibuscum conferas velim:

Men. 1090:	. . . tuque huius autem . . .
Pseud. 635:	. . . quasi tu dicas quasique ego autem . . .
Aul. 30:	illa illum nescit neque compressam autem pater [4].

Difficilius tamen est dictu, quomodo *autem* particulae collocationem probabiliter explicemus in versibus infra perscriptis. Quamobrem apta locorum ordinatione annotationibusque idoneis perspicuitati consulere malo quam proferre, quid hic illic causae subesse suspicer:

Trin. 682:	me, qui . . ., in ditiis
„ 683:	esse . . ., egere illam autem, ut . . .
Cas. 27:	. . . ludis poscunt neminem,
„ 28:	secundum ludos reddunt autem nemini [5])
Truc. 902:	puero opust cibo, opus est matri autem . . .
Most. 778:	vehit hic clitellas, vehit hic autem alter. . . [6])
Rud. 173:	desiluit haec autem altera . . .

[1]) cf. Cas. 306.

[2]) cf. pag. 58/9.

[3]) ad Bacch. v. 520 vide quae annotavit Leo: „inter 519 et 520 versuum 512—514 dittographia legitur in P: om. A.“

[4]) ‚autem‘ = ‚αὖ‘ cf. Kauerus ad Ad. v. 722; Niemeyerus ad Men. v. 1090.

[5]) cf. pag. 66.

[6]) cf. Bacch. 353, Pseud. 1238, Mil. 678.

In Bacch. v. 1060

: ego ád forum autem hinc ibo[3], ut solvam militi

nescio an aliquid defensionis habeat haec emendatio

: ego aútem hinc ad forum ibo[3], ut . . .;

cf. praeter Aul. 333, Curc. 47, Men. 269, alios:

Pseud. 1230: . . . sequere sis me ergo hac ad forum, ut solvam . . .
Most. 853: eo ego hinc ad forum . . .

Iam accedam ad eos versus, in quibus altera vox enclitica *autem* particulam a secundo enuntiati loco recedere coëgit: Explicatione non carent huiusmodi versus:

Amph. 539: pergin autem . . . . . .
Aul. 819: . . . iamne autem . . .
Bacch. 91: sumne autem . . . . . .
Merc. 998: pergin tu autem . . . .
Poen. 1410: iamne autem . . . . . .
Truc. 695: . . . iamne autem . . .

Autem particulam item atque *igitur*, aliter atque *enim*, post *ne* voculam interrogativam scribi notandum est. Huc quoque referendi sunt hi duo versus:

Mil. 593: . . . Sceledrus nunc autemst foris
Stich. 733: tecum ubi autem est, mecum ibi autemst [1])

Seorsum disputandum est de eis locis, ubi *autem* et *esse* verbi substantivi formae in uno eodemque enuntiato occurrunt. Hac enim opportunitate oblata pluribus exemplis illustrabo ac confirmabo, quod supra (cf. pag. 56.) obiter monui, dico ab usu Plautino quae non nulli viri docti de talium vocum collocatione vel statuerunt vel probaverunt utpote nimis severa plane abhorrere. Velut hic ponam quod Haasius in iterata Reisigii ‚lectionum' editione de hac re disputavit (cf. p. 849/50: „Richtig aber steht *esse* nach jenen Konjunktionen (sc. *enim, autem, igitur*), wenn der Sinn der Existenz gegeben ist, besonders in Fragen oder in Verbindung mit Negationen, wo der Begriff der Existenz negiert werden soll." Ipsam contrariam collocandi rationem praeter alios hi versus exhibent:

Pseud. 1104: nihilist autem . . . .
Trin. 385: . . . quid id est autem . . .

[1]) Lindsaius, Synt. 95: „The repetition in Stich. 733 is a piece of comic assonance."

Pseud. 1067: . . . . . . quid est igitur boni
Amph. 362: . . . quis erus est igitur tibi
Mil. 1431: quis erat igitur . . . .

Etenim in ipsis enuntiatis interrogativis *esse* formas sollemniter ante *igitur* particulam collocari supra (cf. pag. 56.) dixi. Contra esse quidem locos, qui legem a Reisigio Haasiove constitutam comprobent, nimirum minime infitior. Sciendum tamen est neque hanc neque illam collocationem legitimam esse dicendam. Promiscue enim utramque adhibitam esse ex non nullis versibus luculentissime apparet:

{ Stich. 427: . . . quíd id autem únumst? . . . .
{ Trin. 385: . . . quíd id est aútum unum? . .
{ Men. 782: . . . quíd istuc aútem est? . . .
{ Ter. Phorm. 503: . . . quid istúc est aútem? . . .

Omnino neglegendum non est ipsas esse verbi formas breviculas cum nulla re cogente tum metri causa modo hunc modo illum locum in vocabulorum serie obtinere (cf. pag. 16, 39) [1]). Ante *autem* particulam *esse* his tantum locis scribitur: Ep. 621, Poen. 1306, Pseud. 1104, Trin. 329, 385, Truc. 902. — Pronomina *autem* item atque *igitur* particulam tum antecedunt, tum sequuntur: Amph. 895, As. 643, 716, 796, Capt. 556, 654, Cas. 270, 276, Ep. 276, 280, 420, 425, 621, Men. 777, 784, 810, 1090, Merc. 208, Mil. 678, 1003, 1149, Most. 382, Pers. 763, Poen. 819, 841, 1414, Stich. 427, Trin. 385, 683, Truc. 335, 838. Valent tamen, ut supra dixi (cf. p. 56), hic quoque leges illic constitutae:

1. pronomina, quae pendent ex aliqua praepositione, *autem* vocem sequuntur,
2. item sequitur pronominum dativus,
3. nominativus et accusativus
   a) sequuntur *autem* voculam, ubi logicum accentum habent,
   b) antecedunt, ubi non habent.

ad 1. cf. Men. 777, 810, Pers. 763;
ad 2. cf. Amph. 895, Cas. 276, Ep. 25, Merc. 208, Poen. 1414;
ad 3a. cf. As. 643;

[1]) cf.:

Pseud. 445: . . . méus est híc[3] quidem servos Pseúdolus
Trin. 1055: méus[1] est hicquidem Stásimus servus . . .
Most. 447: meus sérvus[1] hicquidem est Tránio . . .
Pers. 14: . . . Tóxilus[5] hicquidem méus amicust
cf. Brixius ad Mil. 267.

ad 3b. cf. As. 796, Capt. 654, Ep. 420, 672, Men. 784, Merc. 998, Stich. 427, Trin. 385, Truc. 335.

Quibus legibus quae illic annotavi, sane hic quoque neglegenda non sunt. — Inter praepositiones et quae ex eis pendent voces *autem* particulam intercedere non potuisse, etiamsi ex his versibus non satis eluceat:

Cas. 28: secundum ludos reddunt autem . . .
Bacch. 1060: ego ad forum autem . . . .

tamen ex eis, quae hucusque de *autem* accepimus, satis superque intellegatur. Ne hoc quidem permirum est, quod in his versibus:

Amph. 144: tum meo patri autem . . .
Men. 34: pater eius autem . . . . . .

voces minus arte inter se cohaerentes *autem* vocula non seiunguntur (cf. Capt. v. 1021 et pag. 27). Sunt tamen nonnulli quidem loci, quibus *autem* tmesin quam dicimus effecerit:

Pers. 695: geminum autem fratrem . . .
Stich. 213: . . . . . quae autem prandia
Rud. 74: illa autem virgo . . . .
Cas. 769: illae autem . . . . duae
Rud. 173: . . . haec autem altera . . . .
Most. 778: . . . hic autem alter . . . . . .
Merc. 420: . . . tuam autem accusari fidem
Poen. 927: et illud autem inserviendumst consilium . . .

De Cas. v. 769 cf. quae annotavi ad Bacch. v. 599 (pag. 59 sq.); de Merc. v. 420 et Poen. v. 927 cf. pag. 31 sq., 59.

quidem, quoque, hercle, mehercle, pol, edepol, ecastor, mecastor.

De vocibus supra enumeratis ac sine dubio in encliticis numerandis (cf. pag. 29.) multa adhuc scripta sunt [1]). Quae omnia iterare sane meum esse non potest. Immo satis habebo investigare nonnulla nondum observata vel plus minusve adhuc errata. *Hercle, pol edepol,* ceterae particulae affirmativae atque omnes denique vocativi [1]), quod quidem ad enclisin pertinet, cognatione quadam non minus inter se continentur quam *quidem, quoque* voculae natura simillimae. Attamen e re ipsa non erit, de utraque classe seorsum disputare. Hic illic ne fieri quidem poterit, quin simul et huc et illuc spectemus.

In tmesi quam vocamus efficienda omnes particulae eandem vim ac potestatem prae se ferunt. Si summam respicis, has leges constituere licet:

1. Vocabulorum conglutinationes in pronuntiando uno principali accentu praeditae — imprimis dico praepositiones nominibus pronominibusve agglutinatas — tmesin fieri passae non sunt,
2. Voces minus arte inter se cohaerentes — imprimis dico vocabula attributim inter se coniuncta et quae cognationis quodam vinculo continentur — tmesi resistere non potuerunt,
3. Vocabulis seiunctis vix aliae voces encliticae insuper intromittuntur ac quae *que, ne* particulas hunc in modum subsequi solent.

ad 1. ex me *quidem:* Bacch. 841, cf. Amph. 736, As. 754, Cas. 83, Cist. 146, Curc. 553, 564, Merc. 1020, Poen. 280, Pseud. 509, 850, Rud. 1162, [Trin. 941], Truc. 510, 751, 958,
cum ea *quoque:* Truc. 94, cf. Aul. 64,
ad te *hercle:* Cas. 593, cf. Amph. 736, Aul. 456, Most. 237, Stich. 596.

Notandum est ne inter *amoris causa* quidem vocabula *hercle* particulam intercedere: cf. Mil. 1308 (Cas. 150 [pag. 33], Aul. 360). Contra in Most. v. 18: *cis hercle paucas tempestates* legi quam statuimus obstare videtur. At vide quae Kuklinski (l. c. 44) et Lorenzius ad hunc locum annotaverunt.

per comitatem *edepol:* Trin. 333,
cum ipso *pol:* Mil. 1222,
ob istam rem *mecastor:* Truc. 879.

ad 2. sua *quidem* salute: Merc. 811, cf. As. 762, Aul. 478, 539, 561, Bacch. 102, [394], Capt. 485, Cas. 83, 398, 9, 563, 570, Curc. 499, 514, Men. 81, 200, Ep. 111, Merc. 314, Mil. 1282, Most. 394, Pers. 736, Poen. 278, 513, 1338, Rud. 1138, Truc. 560,
cerebrum *quoque* omne: Most. 1110, cf. As. 567, Mil. 1273, Trin. 753, 800,

[1]) cf. Robertus Kuklinski, critica Plautina commentationibus grammaticis illustrata, diss. Berolinens. 1884; E. Kellerhoffius in Stud. stud. II. p. 60 sqq.; F. W. Nicolson, the use of hercle (mehercle), edepol (pol), ecastor (mecastor) by Plautus and Terence, Harvard studies, 4 (1893), p. 99 sqq.; A. Luchsius, Herm. 13 (1878), 499/500; F. Skutschius, Herm. 32 (1897) p. 96 sqq.; etc.

[1]) cf. J. Wackernagelius, J. F. 1 (1892), 424: „Wer nun bedenkt, daß diese Partikeln (sc. *hercle* und Genossen) eigentlich Vokative sind . . .“

malo *hercle* vestro: Cas. 489, cf. Ep. 192, 715, Men. 1013, Pers. 193, Poen. 45, Pseud. 1056, Rud. 1315, Stich. 360, Truc. 168,
pulcra *edepol* dos: Ep. 180, cf. Cas. 309, Cist. 12, Pseud. 992,
ego *edepol* te[1]): As. 140, cf. Cas. 326,
ego *pol* te: Most. 4, cf. Amph. 285, 1043, As. 139, 159, Cas. 153, 297, Mil. 474, Pers. 743, 819, Truc. 842,
tu *ecastor* tibi: Cas. 266.

Neglegendum non est huiusmodi tmeses — dico pronominum disiunctiones — non nisi in initio sententiarum sollemnes ac legitimas esse. (cf. pag. 75/6.) Unus Stich. v. 250: *ego illo mehercle vero* . . . aliud collocandi exemplum praebet, ubi tamen recordandum est *mehercle vero* unam notionem esse (cf. pag. 76), unde locum allatum non omni omnino excusatione carere apparet. ceterum cf. Men. 216: *ego hercle vero te* . . .

numquam *hercle* quisquam[2]): Rud. 790,
numquam *edepol* quicquam: Bacch. 922, Amph. 516, Men. 518, Merc. 460, Pers. 128, Pseud. 507, 1018, Trin. 574,
nusquam *equidem* quicquam: Men. 780,
quoque *edepol* etiam[3]): Amph. 281,
nunc *edepol* demum[4]): Capt. 1023,
nunc *pol* demum: Cas. 836.
ne *hercle* operae pretium quidem: Mil. 31.

Insignia sunt haec exempla:
per *pol* saepe: Cas. 370,
quoi *pol* cunque: Pers. 210.

ad 3. mea *quidem* hercle causa: Rud. 139, cf. Amph. 736, As. 275, Bacch. 999, Men. 727, 1029, Mil. 368, Poen. 443, Rud. 139,
specie quidem edepol liberali: Pers. 546, cf. Pseud. 1199,
virum quidem pol optimum: As. 681, cf. Most. 894,
tua quidem, cucule, causa[5]): Pers. 282,

---

[1]) de continuatione, quam alioquin pronomina appetunt cf. pag. 59.

[2]) *numquam, nusquam, quisquam, quicquam,* similia nullo vocabulo intercedente inter se coniuncta sunt his locis: Amph. 459, 910, 1036, As. 197, 631, Bacch. 504, Capt. 136, [Cas. 128], Cist. [86], 279, Men. 447, 613, Merc. 154, Mil. 473, Most. 608, 925, Pers. 55, Poen. 269, Pseud. 134, 905, Rud. 581, Stich. 77, Trin. 533, 801, [Truc. 231], Vid. 61; dirimuntur, ubi particulae supra perscriptae non intercedunt, perpaucis his locis: Amph. 248, 588, Capt. 428, Most. 302, 307, Trin. 237, [Truc. 239], Ep. 80.

[3]) cf. pag. 72.

[4]) cf. pag. 60. [5]) cf. pag. 43, 53, 55.

quem quidem ego hominem: Ep. 121,
isto quidem nos pretio: Cist. 8,
meum quidem te lectum: Truc. 963,
tua quidem ille causa: Men. 792,
nullam equidem illic cornicem: Most. 836,
oculos *hercle* ego istos: Aul. 53, cf. Stich. 191,
nunc *pol* ego demum: Cas. 469,
conlecto *quidem* est pallio: Capt. 789,
ista quidem absumpta res erit: Most. 235,
divitias tu quidem habuisti luculentas: Rud. 1320,
maximam *hercle* habebis praedam: Merc. 442,
animo hercle homost suo: Truc. 594,
meum hercle hic homo vidulum: Rud. 1297,
numquam *edepol* hominem quemquam: Mil. 538,
nullum edepol hodie genus: Most. 657,
malo *hercle* iam magno: As. 471.

Cum Truc. v. 306/7: *numquam edepol mihi | quisquam* . . . cf. Most. 636/7 [pag. 59]. Cum Poen. v. 887: *númquam edepol mortális quisquam* . . . cf. Amph. 516: *númquam edepol quemquám mortalem* . . ., Truc. 306/7: *numquam edepól mihi | quísquam homo mortális* . . ., Stich. 635: *númquam edepol me vírom quisquam* . . . — Aliquotiens vocabula attributim inter se conexa particulis affirmativis non separantur. Quid? Suam singulis locis causam satis obscuram subesse verisimillimum est. Quid igitur multa de his locis?

Vid. 32:	urbána egestas *édepol* . . .[1])
Poen. 1209:	méa fiducia *hércle* . . . . .
Pseud. 301:	eme dié caeca *hercle* . . . vendito oculata dié
Cas. 825:	malo máxumo suo *hercle* ílico . . .
Aul. 172:	novi: hominem haud malum *mecastor* . . .[2])

Hic illic videtur quidem poeta metri necessitate coactus inusitatiorem huiusmodi collocationem sibi indulsisse.

meo quidem animo.

Operae pretium est pluribus verbis inquirere in hanc locutionem. Non ita mirum esse concedo *mea quidem sententia* dicendi formulam apud Plautum in senariis modo obviam semper

---

[1]) cf. Kuklinski, l. c. p. 52.

[2]) cf. Aul. 172, Pseud. 292.

versus exitum occupare. (Cas. 563, [Ep. 393], Men. 81, Poen. 1338). Atque adeo sola *sententia* vox (– –́ ∪ ⏓) nimirum plerumque ipsam hanc sedem habet. Aliquantulum tamen mireris, quod *meo quidem animo*, quae locutio in iambicis septenariis versus clausulam occupat (Curc. 499, 514), in iambicis senariis et in septenariis trochaicis eundem prorsus locum habet. Locutio enim non nisi his accentibus *méo quidem ánimo* notata in senariis (Aul. 478, 539, Cas. 570, Merc. 314) a prima, in septenariis (Bacch. 102, Men. 200, Rud. 1138) a tertia arsi incipit, ita ut, etiamsi refutandum sit (cf. Wallstedtius, stud. Pl. 96.) quod Ritschelius de septenarii partitione (cf. proleg. CCXXXII, CCXL, et pag. 49.) docuit,

3
–́ ∪ – | ∪ –́ ∪ – ∪ –́ ∪ – ∪ –́ ∪ ⏓
1
∪ –́ ∪ – ∪ –́ ∪ – ∪ –́ ∪ ⏓

exitum tamen locutionis in utriusque generis versibus eodem loco, i. e. ante caesuram principalem, esse concedendum sit:

3
–́ ∪ – ∪ –́ ∪ – ∪ || –́ ∪ – ∪ –́ ∪ ⏓
méo q. ánimo
1
∪ –́ ∪ – ∪ || –́ ∪ – ∪ –́ ∪ ⏓

In septenariorum qui huc pertinent numero iusto iure Ep. quoque v. 111 habetur. Hic enim iam C. F. W. Muellerus longe aliam ob causam, i. e. quod modo exposui minime spectans, restituit collocationem quam requirimus:

3
Ep. 111: iam istoc probior [es] méo quidem animo . . . [1])

Unus tamen

3
Bacch. 394: nám pol quidem meo ánimo ingrato | hómine nihil inpénsiust

quod enucleavi evertere videatur. At dubium esse non potest, quin scriptura quam libri mss. exhibent corrupta sit. Primum enim in Plauti quidem comoediis *quidem* vocula *pol, edepol, hercle*, similes particulas affirmativas numquam hunc in modum, i. e. nulla omnino voce interposita, subsequitur (cf. pag. 73 sqq.), ita ut iam Bothium suo iure hoc quidem:

3
Bacch. 394: nám pol meo quidem ánimo ingrato | hómine . . .

emendasse dicendum sit. Restat tamen post *ingrato* vocabulum

[1]) cf. Muellerus, pros. 136: „Wahrscheinlich ist *es* hinter *animo* zu versetzen, oder nach Analogie des bekannten *tanto melior* ganz zu streichen, denn *quí*dem animó möchte ich nicht empfehlen."

hiatus, qui iam Ritschelio ut parum commodus displicuit [1]). Quae cum ita sint, quid tandem obstat quominus transponamus, si levissima transpositione simul et orationem integram facere et *meo quidem animo* suo loco ponere possumus? Hoc enim scribendum proponam:

3
Bacch. 394: nám poi homine – méo quidem animo – ingráto . . .

vel quod non minus perspicuum est:

3
Bacch. 394: nám pol homine, méo quidem animo, ingráto . . .

quae scriptura etiam confirmari videtur hoc versu:

Ter. Ad. 98: homine imperito numquam quicquam iniustius,

et quomodo corruptela se insinuare potuerit satis docet. — Iam vero nescio an aliquanto audacius progredi liceat. Obiter monui *meo quidem animo* in iambicis septenariis versus exitum explere. Est vero versus, qui *meo quidem animo* exhibet, persuspectus ac plane corruptus, quem editores modo hunc modo illum in modum scribi iusserunt [2]), quem tamen ut sanemus, nisi fallor, huc referre licebit: dico Poen. v. 232, quem cancellis circumscriptum Leo sic edidit

: [nam quae lauta est nisi perculta est, meo quidem animo quasi inluta est],

et cui annotavit: „possunt anapaesti esse". Iam vide quae equidem edenda proposuerim

: nam quaé lavata inlúta est nisi percúlta est, meo quidem ánimo.

Non ignoro *lavata* formae obstare Jacobsohnii haec verba (K. Z. 42 (1909), 158/9): „*lavatum* begegnet ausschließlich als Supinum; Poen. 232 ist *lavata* korrupte Form" (cf. ibidem. 40 (1907), 118). Attamen non desunt quae hanc scripturam defendant: Scriptura enim, quam commendavi, et servat quod codices habent: *qua clavata* (i. e. *quae lavata*) (cf. Leo ad hunc versum), et praebet usitatissimam hanc collocationem: *lavata inluta* (cf. cum As. v. 247, Amph. vv. 247, 884, Capt. 200, Cas. 824, alios, tum:

Bacch. 408: . . . qui saeviunt sapiunt . . . .
Poen. 223: . . . lavando eluendo . . . . . .),

et exhibet versum qui optime cadit, et quo *meo quidem animo* in iambicis septenariis stare solet restituit.

[1]) cf. Muellerus, pros. 549: Ritschl nennt diesen Hiatus *parum commodus;* Wenn der Vers einen Hiat haben soll, so gehört er wenigstens hinter animo."

[2]) Goetz-Loewe: nam quae elautast, nisi percultast, meo quidem animo quasi lutosast; Goetz-Schoell: nam quae lau[a]tast, nisi percultast, meo quidem animo quasi † inlusta est.

quoque etiam, etiam . . . . quoque.

Sollemniter scriptum deprehendimus *quoque etiam* (Amph. 30, 81, 281, 717, 753, Ep. 234, 589, Men. 1160, Merc. 299, 328, Pers. 145, 744, Poen. 40, Pseud. 932, Stich. 258, Trin. 1048, Truc. 94, 731, 875), admodum raro *etiam . . . . quoque* (Amph. 461, 702, As. 502, 567, Curc. 131, Most. 1110, Pseud. 122, 353). — Lex est ut *quoque etiam* vocabula nulla voce intercedente continuentur. Quae lex alioquin diligentissime observata duobus locis violata videtur esse; sed videtur tantum: neglegendum enim non est, quae sint voces intercedentes:

Amph. 281: eam quoque edepol etiam . . . . [1])
Trin. 1048: . . . illis quoque abrogant etiam . . . [2])

— Inusitatior *etiam . . . . quoque* collocatio numquam nulla voce interposita continuatur ac modo initium sententiae efficit, modo primum sententiae vocabulum subsequitur. Unus

As. v. 567: verum edepol ne etiam tua quoque . . .

huic dicto obstare videtur. At sciendum est *ne* vel *ni*, quod codex vetus Camerarii habet, utpote hoc quidem loco ab usu Plautino plane abhorrens, eiciendum esse iam Fleckeisenum censuisse [3]). Quo facto una *edepol* vox enclitica inter *etiam* et primum enuntiati vocabulum remanet, ita ut ne hoc quidem loco legem supra constitutam vere violatam esse appareat; ceterum cf. Fleckeisenus, Philol. 2 (1847), 70, ad Men. v. 1020.

quidem hercle, (pol, edepol . . .), hercle, (pol, edepol . . .) . . . quidem;
quoque hercle, (pol, edepol . . .), hercle, (pol, edepol . . .) . . . quoque.

Kellerhoffius (in Stud. stud. II. 64) *quidem* cum *hercle, pol, edepol* particulis affirmativis nulla voce intercedente coniungi solere docuit [4]). „Nonnulla exempla extremo in versu propter metri necessitatem ab hac lege discrepare, alia [— satis multa —], quamquam nulla cogente ratione metrica ab usu supra exposito recessum sit, toleranda“ esse sibi persuasit. At quantum equidem

[1]) cf. pag. 68, 73.

[2]) cf. pag. 31 sq., 59, alias.

[3]) cf. Philol. 2 (1847), 96: „ich zweifle nicht, daß dieses *nae* oder *ni* (vielleicht aus vs. 14 [III. 2. 14 = 560] hier fälschlich wiederholt) gänzlich zu streichen und der Vers zu schreiben ist: *verum édepol etiam túa quoque male fácta iterari múlta —.*“

[4]) cf. Luchsius, Herm. 8. 121 sqq.; Wackernagelius, J. F. 1. (1892), 418.

video res et longe aliter se habet et multo latius patet. Kellerhoffius mirum in modum neglexisse videtur exceptiones, quas dicit, et has et illas (et satis multas ab eo non allatas) ad unam (As. 478) omnes eis tantum locis inveniri, ubi *quidem* particulas affirmativas sequitur, non antecedit. Atque hinc elucet iam rectissime dubitari, an exceptiones, quas Kellerhoffius vocat, re vera sint. Accedit quod idem observatur de *quoque* vocula et de omnibus omnino particulis affirmativis et omnibus denique vocativis. Iam igitur vocularum, de quibus agitur, collocationem e duabus et quidem iisdem, quas modo de *quoque etiam* vel *etiam . . . . quoque* statui, legibus dico pendere, quas, ubi memineris quae in pag. 55 de vocativi et quae in pag. 14 de *quidem, quoque* vocularum natura monui, haud ita difficiles esse intellectu persuasum habeo:

1. sollemnis est *quidem hercle, quidem pol, quidem edepol, quidem ecastor, quidem 'voc.', quoque hercle, quoque pol, quoque edepol, quoque 'voc.'* vocularum collocatio nulla voce seiuncta,
2. Aliquanto rarius occurrit inversa haec collocatio *hercle . . . . quidem, pol . . . quidem, edepol . . . quidem, ecastor . . . quidem, 'voc.' . . . quidem, hercle . . . quoque, edepol . . . quoque, 'voc.' . . . quoque* semper una quidem voce separata ac tum in initio sententiae tum post primum enuntiati vocabulum obvia [1]).

ad 1. quidem hercle: Amph. 397, 556, 736, 986, As. 275, 405, 414, 478, 817, 843, Aul. 283, 449, 570, 759, Bacch. [738], 999, 1027, Capt. 88, 649, 750, Cas. 390, 917, 997, Cist. 296, 306, Curc. 211, 704, Men. 312, 346, 727, 1029, Merc. [264],

[1]) Quod Haulerus (ad Phorm. v. 164) inversae huic collocationi annotavit: „Bei umgekehrter Wortfolge steht vor *quidem* ein betontes Pronomen“ omnes Plautinos quidem huiusmodi locos non complectitur: cf. Cas. 609, Mil. 28, Poen. 1028, Stich. 573; *equidem* ubicumque voces, de quibus agitur, sequitur, primam personam spectat ac sine dubio, si non idem, at certe simile quoddam atque *ego quidem* significat; cf. Lindsaius, Synt. 97: „*equidem:* undoubtedly the word is normally associated with the First Person . . . These two examples (sc. Ep. 202, Men. 1070) shew that *egoquidem* emphasized the I. Pers. far more than *equidem.*“ (cf. H. Jordanus, Kritische Beiträge zur Gesch. der latein. Sprache, Berolini 1879, p. 314, 333 sqq.; F. Skutschius, Herm. 32. (1897) p. 96.) Ceterum cave hoc neglegas: Non dico *quidem, quoque* voculas illas particulas nulla voce intercedente subsequi omnino non potuisse. In Plautinis quidem fabulis huiusmodi collocationem numquam inveniri dico. Etenim ne fieri quidem potuisse, ut cum *hercle, edepol,* cetera polysyllaba tum *pol* monosyllabum inter *quidem* vel *quoque* et quibuscum arte cohaerent voculas nonnullis perspicuis sane locis intercederent affirmare haudquaquam licet; cf.

Ter. Andr. 459: ita pol quidem res est . . .

266, 382, 424, 762, 980, 1020, Mil. 368, Most. 229, 632, 1022, 1112, Pers. 591, 629, Poen. 151, 412, 443, 494, 566, 588, 1114, Pseud. 79, 109, 628, 654, 1070, Rud, 108, 139, 737, 1361, 1369, Stich. 189, 480, 687, Trin. 58, 419, 559, 612, 761, Truc. 262, 313, 369, 510, 535, 814;

Obstat, ut supra monui, unus As. v. 478;

quidem pol: As. 681, Aul. 637, Cas. 143, 300, Ep. 180, Mil. 353, Most. 1075, [1081], Pers. 788, Pseud. 25, Rud. 1300, Stich. 625, Trin. 363,

quidem edepol: Amph. 777, As. 190, 543, 615, Cas. 360, 383, 1010, Cist. 234, 753, Curc. 182, Ep. 648, Men. 383, 497, 665, 927, Merc. 393, Mil. 19, 657, Most. 1008, Pers. 546, Poen. 869, 977, 978, Pseud. 1199, Rud. 557, 806, Truc. 206,

quidem ecastor: Amph. 698, 730, Cist. 43, Men. 658,

quidem 'voc.': Men. 1024, 1079, Merc. 508, 540, Mil. 752, Pers. 282, Poen. 233, 248, Trin. 665;

Cuiusmodi vocativos non eadem prorsus severitate ac breviculas illas particulas affirmativas legem supra constitutam secutas *quidem* voculae adhaerere non ita mirum est [1]): Amph. 714/6 (cf. Cas. 309/11), 582/3, [As. 482], Ep. 653, Men. 798, Merc. 633, Pers. 719/20 (cf. Amph. 556/7), Pseud. 1302; ceterum de his locis vide quae sunt in pag. 75 sq.

quoque hercle: As. 861, Cist. 315,

quoque pol: Mil. 362,

quoque edepol: Amph. 281, Poen. 282, Pseud. 1215, Trin. 900,

quoque 'voc.': Amph. 717;

Hoc loco *quoque etiam* pro una voce habendum esse recordandum est.

ad 2. hercle . . . quidem: Aul. 640, Bacch. 890, Cas. 609, Curc. 156, Ep. 409, Men. 503, Mil. 19, 972, 1006, 1073, Poen. 1028, Pseud. 1288, Rud. 470, Stich. 561, Trin. 717, Truc. 559, Rud. 787, 1416,

pol . . . quidem: As. 920, Bacch. [394], 1195, Capt. 335, 564, Cas. 368, Cist. 8, Mil. 28, 633, 1017, 1259, Pers. 736, Poen. 291, [1172], Trin. 851, Truc. 378, 379,

edepol . . . quidem: Amph. 282, Aul. 215, Ep. 667, Merc. 508, Mil. 322, 406, 988, Poen. 1199, Pseud. 1023, Stich. 573, Vid. 44,

[1]) cf. Wackernagelius, J. F. 1 (1892) p. 425: „Nun macht freilich gerade der Umstand Schwierigkeit, daß, was bei den vokativischen Partikeln Gesetz ist, sich beim wirklichen Vokativ nur als Neigung zeigt."

ecastor . . . quidem: Amph. 714, Most. 208,

'voc.' . . . quidem: Merc. 905, Pseud. 230, 736, Stich. 625, Trin. 1030,

hercle . . . quoque: As. 376, Pers. 145,

edepol . . . quoque: As. 567,

'voc.' . . . quoque: Rud. 1418;

De pol . . . quoque cf. Ter. Hec. 734. Ad extremum inversam hanc collocationem eis praecipue locis inveniri moneo:

1. ubi particulae illae affirmativae vel vocativi initium sententiae occupant,
2. ubi enuntiatum incipit a negatione quadam (cf. Brixius ad Trin. v. 409),
3. ubi agitur de *ego quidem, ego quoque, equidem* (cf. Brixius ad Mil. 1307).

— In senariis iambicis trochaicisque septenariis vix alia condicione inversa illa collocatio occurrit. Contra, ubi condiciones supra perscriptae sunt, perraro illa quam spectamus collocatio non invenitur.

hercle, pol, edepol . . . + ‚voc'.

Vocativi, qui una cum *hercle, pol, edepol, ecastor, mecastor* particulis affirmativis in uno eodemque enuntiato occurrunt,

1. ubi praeponuntur — id quod perraro fit — nusquam nisi ab initio sententiae scribuntur,
2. ubi postponuntur, si summam respicis,
   a) aut ipsas particulas subsequuntur, aut leguntur:
   b) in versu ineunte,
   c) in versu exeunte,
   d) post caesuram principalem.

Ex alterius generis collocationibus una, quam sub 2 a exposui, e cottidiano dicendi usu repetita videtur esse. Ab hac collocatione poeta exceptis quos sub b, c, d comprehendi versibus recessit eis tantum locis:

α) ubi acuendi leges ei obstabant,

β) ubi pronomina [1]) vel *quidem* (cf. pag. 133 sqq.),

[1]) cf. Kellerhoffius, in Stud. stud. II. 60: „particulae affirmativae sollemniter cum *ego* pronomine ita construi solent, ut illae pronomen antecedant nullo interposito vocabulo: *hercle ego, edepol ego,* similia", quibus tamen verbis eadem prorsus addenda sunt, quae Kaempfius, de pron. pers. 41, annotavit legi ab

vero [1]), *si* [2]) voculae particulas affirmativas etiam vehementius quam qui aderant vocativi subsequi studebant. Nimirum hic quoque collocandi rationem in cottidiano sermone adhibitam habes.

ad 1.: Aul. 456, Men. 127, 1066, Mil. 322,

ad 2a.: As. 683, 833, Aul. 254, 543, Bacch. 218, Capt. 948, Cist. 22, Men. 731, 742, 946, 1020, Merc. 503, Mil. 285, 1396, Most. 438, Poen. 1182, 1249, Rud. 131, 489, 527, 563, Stich. 111, Trin. 333, 362, Truc. 329, 503, 586;

ad 2b.: Cas. 309/11, Men. 312/3, Truc. 262/3;

ad 2c.: Amph. 285, As. 843/4, Aul. 637, Curc. 719, Men. 1060/1, Merc. 424, 446/7, Mil. 633, 1004, 1074, Most. 18, Pers. 743, Rud. 1045, Trin. 49, Truc. 206, 426, 945;

ad 2d.: As. 36, Cist. 379, Trin. 346; Aul. 252, Capt. 605, Truc. 949;

ad 2*α*.: As. 417, Pers. 673; Curc. 505, Most. 877.

ad 2*β*.: Aul. 53, 630, Cas. 266, Truc. 268, 759; Merc. 508; As. 249, Poen. 797; As. 933;

— *ere* quod Buechelerus in Curc. v. 142 scribendum coniecit, quamvis praeclare satisfaciat arti palaeographicae, comprobare non possum. Omnino enim desunt, quae inusitatam hanc collocationem defendant. cf. cum Bacch. v. 218, tum Men. v. 1020 et quae A. Fleckeisenus, Philol. 2 (1847), 70 de hoc loco disputavit. Ceterum de *ere* vocativo in Men. v. 1020 obvio vide quae in pag. 73 de *pol* monosyllabo dixi et quae in pag. 72 ad As. v. 567 annotavi. — Singularis neque tamen inexcusabilis est unus hic locus:

Amph. 556: . . . iam quidem hercle ego tibi istam
„ 557: scelestam, scelus, linguam abscidam . . .

---

ipso Kellerhoffio (p. 67) constitutae de *ego* pronomine cum negationibus consociato: „quod Kellerhoffius de *ego* forma dicit, ad omnes casus et personas pronominis pers. pertinet."

[1]) cf. Kellerhoffius, ibidem p. 66: „particulis affirmativis *vero* particula saepissime ita subiungitur, ut fere unum efficiatur vocabulum."

[2]) cf. Kellerhoffius, ibidem p. 72/3.

Vita.

Natus sum Henricus Ottenjann Grevoniae in pago Guestfaliae Monasteriensis a. d. XI. Kal. Mart. a. proximi s. LXXXVI patre Joanne matre Catharina de gente Schwarze. Fidei addictus sum catholicae. Maturitatis testimonium gymnasii Dionysiani Rheinensis adeptus studiis philologicis operam navaturus vere a. h. s. VI Almam Matrem Monasteriensem, hieme Berolinensem, vere insequentis a. iterum Monasteriensem petivi, cuius hucusque fui civis. Docuerunt me vv. dd. Monasterienses: Cauer, Ehrenberg, Erler, Geyser, Kœpp, Kroll, Meumann (nunc Halensis), Meister, Muenscher, Radermacher (nunc Vindobonensis), Seeck, Sonnenburg, Spannagel, Spicker, Streitberg (nunc Monacensis); Berolinenses: Frey, Lehmann-Haupt, Muench, Rothstein, Schiemann, v. Wilamowitz-Moellendorf. — Krollii, Radermacheri, Sonnenburgii erga me benevolentia factum est, ut in seminarium philologicum Monasteriense reciperer eiusque Krollio, Muenschero, Sonnenburgio moderatoribus bis sex menses sodalis essem ordinarius. Quibus omnibus gratias ago et debitas et magnas, maiores Sonnenburgio, consiliario benevolentissimo, maximas Krollio, viro praestantissimo, qui mihi in hoc opusculo conficiendo auctor et fautor adiutorque exstitit.